



C. S. W.

88.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.

Nf. 117.

e.

5

TRACTATIONIS SYNOPTICÆ  
DE  
**INITIATIONE,  
EXPIATIONE,  
BENEDICTIONE  
&  
CONFIRMATIONE  
CATECHUMENORUM**

*PRODROMUS,*

quem,  
divinâ juvante gratiâ,  
*SUB PRÆSIDIO*

**D. CHRISTOPH. MATTHÆI  
PFAFFII,**

Theologi primarii & Cancellarii Tübingerensis

*ad IV. & V. Dec. MDCCXXII.  
in Auditorio Juridico  
defendent*

M. JO. FRIDERICUS PFLEIDERER, Waiblingensis,  
M. HELVICUS IMMANUEL BECK, Bahlingensis,  
M. JO. JACOBUS BRODHAG, Stutgardianus.

Sacrarum Literarum Cultores in Ducali Stipendio.

TUBINGÆ imprimebat GEORGIVS FRIDERICVS PFICKIUS.

v.

✓ 5.192.

VENERANDÆ  
**S Y N O D O**  
WIRTEMBERGICÆ,  
QUÆ QUOTANNIS STUTGARDIÆ IN UNUM COIT,  
**R RODROMUS HIC**  
SACER  
ET DICATUS  
ESTO.



*Allocutio gratulatoria*  
**P R A E S I D I S**

ad

Respondentes suos,

JO. FRID. PFLEIDERERUM, Waiblingensem,  
HELVICUM IMMAN. BECKIUM, Bahlingensem,  
&

JO. JACOBUM BRODHAGIUM, Stutgardianum,  
Philosophiæ Magistros præstantissimos.

**H**aud cogitaveramus, Clarissimi Juvenes, nos post editam nuperam de Formulâ Consensus Helveticâ dissertationem hoc ipso anno aliam adhuc exaratus publicoque colloquio & examini exposituros esse, capropter quoque, quod satis jam nobis disputasse videbamur, ubi de tot argumentis (\*) codem temporis cursu meletata academica edidimus. Nihilominus, cum tu, præstantissime PFLEIDERERE, argumentum dissertationis academicæ à nobis nuperim expeteres, non potimus isti ardori tuo, quem alere potius nostrarum est partium, qui literas Theologicas promovere omnibus viribus nostris cupimus, deesse. Et, qui eo ipso tempore Formulam Confirmationis Stutgardianam vidimus nostras in manus lapsam, cogitavimus, non male nos operam collocaturos, si hoc argumentum, cui evolven- do & exponendo calamum nos commodaturos alias promiseramus, penitus jam, Τῷ καιῷ δελέοντις, explanaremus. Capimus ergo huc cogitata nostra convertere illico sed observavimus quoque mox, tam amplum hunc scribendi campum esse, ut una disser- tatio

---

(\*) de nativitate Christi, de morte naturali, de impersonalitate & perpetuitate humanae Christi naturæ, de elektione formalis & finali, de cœlo beatorum, contra BASNAGIUM, de For- mulâ Consensus Helveticâ.

tatio hanc sufficere hic possit. Itaque in plures libellos curas nostras deinceps reservavimus, sensim sensimque conscribendos & edendos. Cum vero & videremus, tale esse argumentum hoc, quod prolixissimam eruditionem theologicam requireret, ad quam tenuitati nostra adscendere hanc datum esset, existimavimus, è re nostrâ futurum, si prodromum primum ederemus, quo gustum nostrorum tentaremus vel provocaremus eosque rogaremus, ut paupertati huic nostre divitiis suis succurrente sua que de hoc arguento observationes, nobis incognitas, ad nos mittere dignarentur. Quod ipsum dum facimus, dum efformando huic prodromo calamum huncce impendimus, ecce, & vos quoque, tu primum, doctissime Domine BECKI, postea & tu, præstantissime Domine BRODHAGI, accurritis atque socios vos Prodromo huic defendendo præbetis. Quam vero egregium hoc est, eodem animi eruditionisque ardore, quem non laudare in vobis nequeo, ad eundem scopum finemque à tribus vobis curri & properari! Macti hac virtute vestrâ, doctissimi Domini Magistri, eos jam vos, quales auguror & opto, in cathedrâ academicâ siste, communi doctorum applausu excipiendos, & eapropter quoque plurimum exosculandos, quod eam defenditis dissertationem, que ritum egregium, hoc ipso tempore in Ecclesiam patriam invenendum, explanat & enarrat. Scilicet ita jam à vobis agenda res est, ut & vestrâ operâ ista crescat edificatio, que ex noviore istâ constitutione proficiet & largo fluxu emanare potest. Ita vero DEUS O. M. vobis suâ afferat gratiâ vosque amet plurimum & vestra studia jubeat esse felicissima & Ecclesia valde salutaria. Ita valete.

Scripsi Dom. I. Adventus A. MDCCXXII.

## LECTORI SALUTEM.

Xcessit jam unus & alter annus , ex quo tempore nullum ferè amplius libellum academicum edidimus , qui historiam Ecclesie veteris illustraret . Cum enim ad aliud scriptio[n]is genus , quod vero non æquè genio seculi , quod vivimus , (habent enim & sua fata libelli) arsisit , dilaberemur , contigit , ut ab elegantissimo illo historiae ecclesiastice campo paululum diverteremus , in quo expatiari subinde & oculos nostros animumq[ue] pascere calamumq[ue] exercere pulchrum nobis erat . Quod vero iis , qui , relidis amoenissimis sedibus , in regiones sylvis obsitas & latronum copiā infestas abeunt , evenire solet , ut avita arva non sine teneriore quodam desiderii & voluptatis affectu repetant , id & nobis jam accidit , ubi in laudatum illum nobisq[ue] tantoperē deamatum historiae ecclesiastice campum pedem retrahimus atq[ue] tale scriptio[n]is argumentum hodie in calamus hunc nostrum labi patimur , quod ad istam elegantioris Theologie partem spectat . Arripiimus autem occasionem nobis datam , non facimus vel fingimus ipsi . Nōrunt , qui suā libellos nostros luce dignari hanc gravantur , nos in libro singulari de originibus juris ecclesiastici capite quarto , articulo tertio (\*), plurimum com-

A

men-

(\*) num. XV. p. 227. editionis novæ. Et dixeramus sanè jam C. III. art. 3. notâ (k) p. 147. confirmationem baptizatorum per zegredorū neminem Protestantum facile rejicere , si nulla necessitatis , nulla superstitutionis notio ruit à Christo Apostolisq[ue] nullib[us] precepto adpergatur.

mendasse confirmationem juniorum ad facram coenam adspirantium publicam, solenni ritu cum examine & admonitione confirmandorum faciendam. Jam tantum abest, ut hæc conscriptis Venerandæ Synodi nostræ Wirtembergicæ, quæ quotannis in Metropoli Stutgardianâ in unum coit, Patribus, quos amamus cum primis & colimus, diliguerint, ut potius, cum & meminissent, eadem fuisse & olim Theologorum inter nos præstantissimorum desideria, cum & recogitassent, eandem confirmationem, à labe Romana prorsus immunem, in plurimis Ecclesiis purioribus vel dudum receptam vel inde ab aliquot lustris demum adoptatam fuisse, cum deniq; & ponderassent, largissimam sic occasionem preberi Evangelii doctoribus, insigni cum edificatione in animos & pectora catechumenorum descendendi stimulosq; sanctiores ipsis insigendi, queis acti stadium Christianismi eo alacrius decurrant & in fide istâ, quæ ad cœlum dicit, mirifice fermentur. Serenissimum Principem nostrum EBERHARDUM IULIODVICUM, quem DEUS in eternum amet & possipet! suis permoverint precibus ad benedictionem & confirmationem catechumenorum in Ecclesiam nostram Wirtembergicam fausto omni solemnis mandato invehendam (\*). Quæ ipsa cum attentionem haud vulgarem apud nos mereantur, cum & necessarium esse videatur, hoc de argomento penitus nostros instruere, existimavimus utiq; nos egregie operam collocatores, si ex reconditis antiquitatibus ecclesiasticis thesauris, quid olim in Ecclesia & purissimi & medi & sequoris ævi, tum orientali rum occidentali, Græca & Latina usq; ad tempora reformationis circa initiationem, expiationem, benedictionem & confirmationem catechumenorum & baptizatorum actum, quomodo & idem hic ritus, eadem illa constitu-

(\*) Vide den Evangelischen Unterricht von der Confirmation der Kinder samt dem Formular, Stuttgart 1722. 12.

stitutio superstitionibus & olim jam ab hereticis & in Ecclesia  
 quoque sequiore tum Græcâ tum Latinâ inquinata fuerit, ostendere-  
 remus, ut & porro, quid Protestantes inde ab initio re-  
 purgatae religionis usq[ue] ad hec tempora de confirmatione sen-  
 serint, quomodo & eandem sed nonnisi à superstitionibus,  
 queis maculata erat, liberatam adoptaverint, explicaremus,  
 ut denique, quâ ratione ista catechumenorum confirmatio  
 peragi & ad edificationem haud vulgarem infestâ debeat, ca-  
 lamo ascetico & pratico, qui, fracto cortice, sanctiorem rei  
 nucleus nobis exhibeat penitusq[ue] degustandum eundem sapienti-  
 bus & piis sisit, candide enarraremus. Latissimus est, uti qui vis-  
 uideat. dicendi campus. prolixissima scribendi materies, quam  
 vix magnum quoddam & spissum volumen exhauserit. Jam  
 verò & in eodem campo tot egregii adparent Scriptores, eru-  
 ditionis laude clarissimi, ut post Homerum Iliada scribere vi-  
 deatur, qui negotium hoc aggredi susinuerit. Imo vix spici-  
 legium quoddam sibi hic post istos maximorum Virorum labo-  
 res & sudores relictum esse dixerit eruditissimus quisque. Nec  
 diffitemur, hec ipsa à scriptione hanc nostrâ nos deterruisse ferè,  
 qui infirmitatis nostræ bumerorumq[ue] sanè quād tenuim, queis  
 laboramus, facile nobis sumus concii. Quicquid autem hu-  
 jus sit, invitat nos & trahit ferè ad hoc institutum argumen-  
 ti, quod nos expectat, & necessitas & utilitas & amoenitas  
 atq[ue] eleganter, que facile lectors capit, deniq[ue] & aedifican-  
 di, quo hic amplissimo defungi possumus, & aor̄oew, quâ  
 ista omnia prolixè sanctificare nobis licet, studium præ aliis  
 omnibus Theologo dignissimum nobisque præcipue longè pretio-  
 sissimum & auro contra carius. Ast nec constitutum nobis est,  
 dare omnia, & totum hoc mare, quod hic nobis se sisit, ef-  
 fundere. Sufficiet nobis, dedisse præcipua, & qui post tot  
 Homeros Iliada scribere prohibetur, Homerum saltem, si  
 possumus, in nuce, quod ajunt, exhibuisse. Quod ipsum  
 dum facere conanur, prodromum tractationis nostræ hic ante-

ire jubemus, eo fine, ut lectoribus & vestitis & ratio &  
scopus dicendorum constet, ut & eorum Autorum, qui ar-  
gumentum hoc penitus excoluere, (jam enim nec gregarios  
Scriptores, qui in Republicā literariā spectrorum saltuum ad in-  
star & velut umbra vagabur, nec eos ferē, qui tantum  
at ē mādō hoc de argomento aliquid mouere, dabimus,)  
controversiarumq;, quae de confirmatione in Ecclesiā &  
olim & sequoribus temporibus enatæ fuere, numerum quen-  
dam invenimus, ut deniq; eruditos, quos hæc patria nostra alit,  
Viros ad sublevandam paulisper banc, quā laboramus, pau-  
pertatem nostram diuītiasq; suas, quæs fulgent, nobis cum  
candidè & prolixè hinc communicandas officiosè invenimus. Cer-  
tè enim non omnia possumus omnes & oculi plus vident, quam  
oculus. Itaq; ergo jucundissimum nobis erit atq; acceptissi-  
mum, ex observationibus virorum præstantissimorum hic  
proficere nostrāq;, hem quam incomata & gracilia & macilenta!  
alienis illis plumbis sic exornare. DEUS vero O. M. gratia  
suā coelest plurimum nobis affiat!

## ARTICULUS PRIMUS.

**T** primò quidem id antea omnia monendum est, istam Catechumenorum initiationem & confirmationem, quam hodie in Ecclesiis nostris receptam videmus, nec veteris Ecclesiæ ritui prorsus conformem esse posse, nec tamen & ullo modo cum Romanâ labe commune quid habere, nec & tale quid esse, quod insolens videri possit aut pruritum innovandi, qui in sacris & periculis & nefandus est, oleat. Sunt hæc opiniones falsæ & pravorum præjudiciorum habendæ loco, quæ animis utique excutere & in exilium agere opus est. Jam vero, quæ dicimus, ab iis in dubium vocari nequeunt, quibus

quibus sacrarum veteris Ecclesiæ introire , quibus antiquitates Ecclesiasticas degustare licuit , qui præxim Romanæ Ecclesiæ , qui nostræ hîc nôrunt. Scilicet , quod primum illud spectat , dudum diximus atque iterum iterumque inculcavimus ( a ) , Ecclesiæ veterem , seu potius plebem sacram , quæ post Doctores alteram Ecclesiæ partem conficit , in tres classes olim fuisse divisam , pœnitentium , catechumenorum & fidelium , ex quibus catechumeni erant illi , qui nondum erant baptizati , ipsi & varias in classes divisi , ad catechumenatum primò initiandi , postmodum multis ceremoniis variisque institutis ad baptismum præparandi , quo accepto illicò confirmabantur & in classem fidelium immitebantur. Jam ipsa hæc confirmatio primùm quidem per impositionem manuum & à Presbyteris quoque peracta fuit , donec mox in secundo seculo unctio ex ritu Judaico succederet , baptismo annexa & sequioribus temporibus sine ullâ manuum impositione administranda. Postmodum in Ecclesiâ Romanâ ( cæteris Ecclesiis Occidentalibus sensim sensimque hîc successuris ) jam seculo quarto paulatim unctio illa confirmatoria à baptismo divelli & Episcopis solis adjudicari coepit , donec vel tandem , crescente superstitionum ( profectò enim scapham scapham vocare licet , ) numero , ubi primum cærimonia saltē ecclesiastica existimabatur confirmatio , & sacramenti loco illa habita , & supra baptismum evecta , & indelebilis character illi affusus & chrisma , ab oleo baptismali diversum , ab Episcopo solo conficiendum & benedicendum hîc cum certâ formulâ & miris ritibus adhibitum fuit. In Ecclesiâ verò Græcâ illa semper & à Presbyteris administrata fuit , suis tamen & superstitioni-

A 3

tioni-

(a) Vide sicutem librum de originibus Juris ecclesiastici C. 3. artuc. 3.

tionibus maculata, cùm & Græci in baptismo primum  
 ungant & in confirmatione denuò sed adhibito pecu-  
 liari chrismate ungant, infantibus sic baptizatis & sic  
 confirmatis Eucharistiam mox in os ingesturi, &  
 ipsam hanc unctionem confirmatoriam novum sacra-  
 mentum esse ajant majoremque ipsi quām baptismo vir-  
 tutem itidem adscribant. Cum his omnibus nostra  
 haud conspirat, quæ in Ecclesiâ puriore obtinet, *con-*  
*firmatio*, ubi Ecclesiæ doctori hoc officii datum est, ut  
 catechumenos, jam olim baptizatos, in memoriam  
 foederis baptismalis, dudum cum DEO initi, nunc sol-  
 lenniter & publicâ quidem confessione confirmandi  
 dceducat, ut gravitatem, momentum & præstantiam  
 hujus foederis illis inculcat, ut gravi & verticordiâ di-  
 stione in pectora ipsorum irrumpat, ut præstantissi-  
 mam hanc resolutionem, quâ serium omnibus mundi  
 hujus pompis & deliciis & voluptatibus & vitiis quibusvis  
 nuncium sese jam missuros, quâ & se fidem in Christum  
 Salvatorem optimum usque ad finem vitæ, imò ad san-  
 guinis hujus sui fusionem usque constantissimè servatu-  
 ros atque in egregiâ illâ & sanctâ mandatorum illius  
 orbitâ sese perpetim ambulaturos certamenque fidei  
 egrégium certaturos esse sanctissimè polliceantur, cor-  
 dibus ipsorum infundat, ut admonitionibus excellen-  
 tissimis iisque replicatis animos ipsorum suaviter percel-  
 lat & moveat sanctumque ipsis timorem coram Domi-  
 no JESU, sed & amorem Salvatoris tam egregii eidem  
 inspiret, ut denique catechumenis sic præparatis, sic  
 sanctificatis & divinâ vi motis benedictionem suam,  
 divinitus certè sic ratam & gratiæ omnis divinæ longè  
 fœcundissimam cum impulsione manuum, qui ritus  
 antiquissimus est & ad hoc negotium sanctificatus, lar-  
 giatur. Jam hæc *confirmatio* primis temporibus non us-  
 quequa-

queaque sic convenit. Scilicet à baptismo primum illam divellimus, ut habeant adulti nostri, quo ædificantur sic mirificè & confirmantur in fide. Porrò unguentum nullum, nullum chrisma adhibemus, nullas cærimonias superfluas, nullum usum fusuras admittimus. Quid enim, quæso, istud oleum, quid christina illud, quod, adversariis quoque fatentibus, Apostolicum seculum non fert? Itaque ergo, quæ in veterum *confirmatione* egregia erant, Ecclesiæ Protestantium retinent, quæ nullius usus & ad superstitionem tendentia, egregio & laudatissimo instituto rese-  
cant. Unde nec est, quod quisquam ajat, *confirmationem* hanc nostram Romanæ labis quid olere. Qui hoc cauſſatus fuerit, næ is plenis buccis ignorantiam suam prodere dicetur à nobis. Nos nullum sacramentum novum nullamque rei necessitatem hīc fingimus, nos ritui externo nullam gratiam divinam alligamus, nos nullum characterem indeleibilem hīc somniamus, nos omnem confirmationis efficaciam ex baptismo & egregia confirmatorum dispositione derivamus, nos omnes alias superstitiones confirmationi Pontificiæ adjacentes abesse hīc jubemus. At verò & ejusdem ignorantiae reum seſe reddiderit, qui novandi pruritum hic subeffe fuerit suspicatus. Quis enim rerum gnarus & piamente ista, quæ diximus, secum reputans sanctissimum hoc institutum novitatis insimulaverit, quod & vetus tenuit ursitque Ecclesia, quod ipsi Apostoli sunt exēcuti, quod constantissime per omnia secula servatum fuit, quod magna Ecclesiarum nostrarum pars sequitur, quod & Ecclesia Anglicana, quæ inter reliquas Ecclesiæ Protestantes nobis proxima est (b), jam inde

(b) Vide nuperam dissertationem nostram Anti-Baſnagianam p. 26. lqq.

62-11

inde à reformationis incunabulis tenuit? Quis, inquam, non exosculetur evehatque & commendet institutum, quod tantam ædificationem in Ecclesiâ secum vehere parereque aptum est, &c., dum catechumenos, dum juniores excitat, & horum exemplo cæteros & adultiores novâ vi percellit atque, quid & ab ipsis poscatur, à minori ad majus argumentum trahendo suavi ratione iisdem in memoriam & pectus revocat? Quis denique non in amplexus Virtùm ruat, qui magno ædificandæ plebis ecclesiasticae studio moti & benè cupientes fidelium salutis institutum tam sanctum, tam præstans, tam laudabile enixè urserunt & commendarunt? Id unum addendum restat, non posse non institutum hoc esse valde egregium, si à Viris in praxin ducatur, qui divino Spiritu pleni sunt, qui magnâ fidei præstantioris *mæppioia* ædificationis excellentissimæ fluenta in Ecclesiam effundere possunt, quibus & datum est, corda catechumenorum dictione coelesti &, quæ vi divinâ armata sit, tangere, qui adversus Satanam & mundum triumphare nôrunt, queis DEUS & Ipse suæ benedictionis in egregium Ecclesiæ publicum magnâ copiâ effundendæ thefauros luculentos donat, qui denique precibus suis coelum reserare & aperire sciunt, ut largissimus summa gratiæ imber in pectora catechumenorum defluat eademque divino illo salutis præstantissimæ rore luculenter irriget. Haud dici potest, quantæ ædificationis hoc negotium sit, si à benedicto ejusmodi vase tractetur & sanctæ ejusmodi manus, à quibus nonnisi fons præstantissimorum charismatum destillare potest, catechumenis imponantur. Ast, si aliter res procedat, si spirituali acediâ doctòr laboret, si nudas formulas ille saltē prælegat nudumque ritum exsequatur, si nulla spiritualis *mæppioia* adsit,

si vox faucibus hæreat , si magnalia DEI lentâ is & miserâ dictione nullâque vi , nullâ eloquentiâ spirituali tinctâ efferre tantisper tentaverit , si in corda hominum irruere is nullus valeat sed sonos faltem in aëre diffluentes efferre nôrit , verendum est , ne ritus præstantissimus , ne institutum in se egregium omnium sapientum judicio Ecclesiæ potius grave sit & onerosum quâm salutare atque opus operatum , quod illam tan-toperè vastat , sic potius augeatur quâm suffocetur & supprimatur .

## ARTICULUS SECUNDUS.

**J**AM verò , ubi in meditationem hanc asceticam statim ab initio lapsi sumus , atque ita , fracto cortice , nucleus sine morâ inopinati mox exhibuimus , qui primùm , quæ ex penu eruditio[n]is Theologicæ deprimi h[ic] possunt & merentur , dare cogitaveramus , facile videmus , requirere instituti nostri rationes , ut amplitudinem , ut vastitatem argumenti , quod tractatum , quod evolutum imus , sistamus lectoribus , &c , quî evolvendum illud atque enarrandum sit , qui fontes h[ic] consulendi veniant , quidnam Viri doctissimi in hujus argumenti pertractione jam præstiterint , enarramus paucis . Et sic quidem luculenta mox historiæ Theologicæ literariæ porta nobis , sanctâ rerum curiositate tactis , patet . Primo loco obtutui nostro se si-stunt veteris Ecclesiæ , tūm Orientalis tūm Occidentalis ritualia , quæ , cùm alibi (a) recensuerimus non est , quod novum h[ic] corundem indicem condamus .

B

Veli-

( a ) Vide dissertationem nostram de liturgiis , Missalibus , agendis & libris ecclesiasticis Ecclesiæ orientalis veteris & modernæ A. 1718. editam .

62

Volumus autem , maximè hīc ut inspiciantur Constitutiones Apostolicæ , Ordo Romanus , Euchologium Græcum , quod JAC. GOAR edidit & Rituale Romanum , ut inter Græcos CYRILLUM HIEROSOLYMITANUM & NIC. CABASILAM & inter Latinos Autores illos , qui de divinis officiis scripsere (b) , taceamus . Secundam classem hīc tenent Concilia tūm Græca tūm Latina , quæ de confirmatione disposuere . Hīc JO. HARDUINI index rerum , quem Conciliorum editioni suæ addidit , in voce *chrisma* & *confirmatio* haud contemnendam præstiterit operam . Certè patet , quantum lucis huic argumento affundi posuit ex Conciliis , Romano illo , quod sub Sylvestro habitum fuit , Eliberitano , Laodiceno , Arelatensisibus , Carthaginensisibus , Constantinopolitano I. Arausicanus I. Epaonensi , Vafensi , Aurelianensi , Toletano , Senensis , Barcinonensi , Trullano , Hispalensi II. Bracarense II. Meldensi , Florentino , Tridentino , Hierosolymitano aliisque quām plurimis , ubi in rem ipsam descendere quis atque ea , quæ hūc spectant , accuratiū tractare voluerit . Tertia statio debetur Episcopis Romanis , quorum hīc habenda quoque præcipua ratio est . Memorandi hīc sunt Clemens Rom. Urbanus I. Cornelius , Eusebius , Melchiades , Sylvester , Damasus , Innocentius I. Leo M. Gelasius , Johannes III. Gregorius M. Innocentius III. & IV. Eugenius IV. Clemens VIII. ubi verò notandum , primis , quos nominavimus , ea adscribi , quæ istam ætatem omnium confessione haud ferunt & supposititia sunt . Quartus honor

( b ) Recensuit hosce TH. ITTIGIUS de Bibliothecis & Catenis Patrum p. 636. sqq. Adde J. A. FABRICIUM in Bibliogr. antiqu. C. IV. §. 3. & dissertationem nostram de liturgiis C. 2. §. 8.

honor debetur Ecclesiæ Græcæ Patribus & Scriptori-  
 bus sive antiquis sive sequioribus , Psevdo-Dionysio,  
 Psevdo-Justino , Origeni , Cyrillo maximè Hierofo-  
 lymitano , Gregorio Nazianzeno , Asterio , Jo. Chry-  
 sostomo , Amphilochio , Theodoreto , Jo. Damasce-  
 no , Oecumenio , Photio , Theodoro Studitæ , Si-  
 meoni Thessalonicensi , Harmenopulo , Pachymeri ,  
 Jeremiæ Patriarchæ , Gabrieli Philadelphensi aliquique  
 infinitis . Quinta scena Patres Latinos primùm , post-  
 ea & Scholasticos Viros fistit , Tertullianum , Cypri-  
 anum , Optatum , Pacianum , Prudentium , Ambro-  
 sum , Hieronymum , Augustinum , Gennadium Ma-  
 filiensem , Martinum Bracarensem , Isidorum Hispa-  
 lensem , Bedam venerabilem , Rabanum Maurum ,  
 Amalarium , Theodulphum , Fulbertum , Honori-  
 um , Rupertum , Hugonem , Walafridum Strabum ,  
 Petrum Damiani , Ivonem , Arnoldum Bonævallen-  
 sem , aliosque itidem infinitos , qui h̄ic in censum ve-  
 nire possent . Inter Scholasticos eminent Petrus Lomb-  
 bardus & Thomas Aquinas , quies sanè innumeri alii  
 addi possent , si tanti res esset , & si addantur , capro-  
 pter saltem adduntur , ut pateat , quî Cadmæi in mutua  
 prælia fratres h̄ic ruant & subinde veritati quoque præ-  
 beant testimonium ( c ) . Inter recentiores notandi sunt  
 Henriquez & Suarez , qui datâ operâ de confirmatio-  
 ne scripserunt . Adjici possunt omnes ii Autores Latini ,

B 2

ni,

( c ) Conferendum h̄ic vel maximè est JO. GERHARDUS ö mānu ,  
 qui instar omnium est , in auteo opere Confessionis Catholicæ ,  
 ubi L. 2. P. 2. art. 13. f. 1132. sqq. datâ operâ & prolixè de con-  
 firmatione agit pugnantesque Scholasticorum & Pontificiorum  
 sententias hanc in rem recenset . Meretur tamen pra omniibus  
 aliis addi JO. DALLÆUS de confirmatione L. I. C. 3. 4.

ni, qui contra Græcos, & Græci, qui contra Latinos  
scripsere (d). Septimo loco Jus Canonicum hic in  
censum venit cum interpretibus & epitomatoribus suis  
tum antiquioribus tum modernis. Evolvendum hic  
maximè est decretum Gratiani, parte tertîâ de conse-  
cratione, distinctione quartâ & quintâ (e). Jam ad-  
de, si placet, ZEGERUM BERNHARDUM VAN  
ESPEN (f), JO. PAUL. LANCELLOTTUM (g),  
JO. ARNOLD. CORVINUM (h), SAM. MARE-  
SIUM (i), CHRIST. THOMASIUM (k) & JU-  
STUM HENNINGUM BOEHMERUM (l). Octa-  
vus locus Casuistis Romanensibus debetur, qui de  
confirmatione miras subinde quæstiones formant (m).  
Jam sequuntur Autores illi omnes, qui de ritibus veteris  
Ecclesiæ scripsere. Hos cùm magno studio collegerit  
Poly-

(d) Catalogum eorundem iniit JO. MICHAEL HEINECCIUS,  
Theologus Halensis eruditissimus, nuper magno cum rei li-  
terariæ damno demortuus in der Abbildung der alten und  
neuen Griechischen Kirche, in dem Anhang §. 13. 14.  
p. 70. sqq.

(e) Adde Decreti P. 1. dist. 95. C. 1.

(f) in jure ecclesiastico universo P. 2. tit. 3. f. 309. sqq.

(g) in instit. Juris canonici L. 2. tit. 4. de sacramento chrismatis.

(h) in jure Canonico L. 2. tit. 4.

(i) in scholiis & animadversionibus in M. ANTONII CUCCHI  
institutiones juris canonici, titulum *de confirmatione*. Adde  
ejusdem syllogen disput. select. P. 1. p. 436. 437.

(k) ad Lancellottum p. 663. sqq.

(l) ad calcem dissertationum juris ecclesiastici antiqui & in Schil-  
tero illustrato p. 222.

(m) Tam parvi autem hi momenti sunt, nostram disciplinam quođ  
spectat, ut ne quidem istos jam inspexerimus. Vide tamen  
la Morale de Grenoble T. 3. tr. 3. p. 172. sqq.

Polyhistor ille Hamburgensis summus JO. ALBERTUS FABRICIUS (n), non est, quod alienis plurimis hic jam superbiamus. Quis vero est eruditorum, quis hic eruditionis campus familiaris est, qui nesciat, quid praestiterint hic post alios multos GABR. ALBASPINÆUS, JOS. VICECOMES, GUIL. CAVE, JOSEPHUS BINGHAMUS, GOD. ARNOLDUS? Palmam tamen omnibus EDMUNDUS MARTENE, Monachus Benedictinus è Congr. S. Mauri præripit (o), cui velim HUGO MENARDUS (p) jungatur. Denique opus est, ut consulantur quoque Scriptores alii, qui de expiatione catechumenorum & confirmatione baptizatorum vel libris singularibus vel datâ saltem operâ scripsere. Dabimus eorundem bonâ cum lectoris pace hic indicem quandam, ita tamen, ut alios adhuc nobis nominandos reservemus, qui ad historiam controversiarum huc pertinentium spectant, vel saltem infra recurrunt. Pertinent huc GEBHARDUS THEODORUS MEJERUS (q), MATTHIAS ZIMMERMANNUS (r), JO. MORINUS (s), TOBIAS PFAN-

B 3

PFAN-

(n) in Bibliogr. antiqu. C. 4.

(o) de antiquis Ecclesiæ ritibus P. 1. T. 1. L. 2. p. 232. sqq. ubi &amp; varias confirmationis formulas olim usitatas refert p. 249. lqq.

(p) ad Gregerii M. Sacramentarium p. 143. sqq.

(q) de tribus novorum Ecclesiæ nascentis Christianorum initialementis. Adde ejusdem commentarium de recondita veteris Ecclesia Theologia.

(r) in commentario ad dictum Tertulliani *sunt non nascuntur Christiani* §. 81. & in analectis p. 528. sqq.

(s) de administratione sacramenti penitentiae L. 8. C. 16. L. 9. C. 10. maximè vero in operibus posthumis, quæ Lutetiae Parisiorum A. 1703. 4. prodicere, ubi tractatus primus de expiatione

PFANNERUS (t), EDM. ALBERTINUS (u),  
GUIL. ERNESTUS TENZELIUS (x), EMANUEL  
SCHELSTRATIUS (y), SAMUEL BASNAGI-  
US (z) aliquae Scriptores, qui de disciplinâ arcani in  
veteri Ecclesiâ usitatâ & catechumenis maximè præ-  
scriptâ egere, quos & alibi (a) citavimus. De con-  
firmatione verò consuli possunt MARCUS ANT. DE  
DOMINIS (b), JO. FORBESIUS (c), CASP.  
ZIEGLERUS (d), BALTH. BEBELIUS (e), JE-  
REMIAS

*piatione catechumenorum*, secundus de sacramento confirmationis agit. Est hic Autor præcipuus, præ omnibus aliis consulendus, licet secundum illum tractatum ad finem haud perduxerit. Historiam horum libellorum dedit RICH. SIMON in lettres choisies, quæ Amstelodami A. 1700. 12. prodiere, lettre 2. p. 7. sqq.

- (t) Hic de catechumenis antiquæ Ecclesiæ librum Vinariæ A. 1688. 12. edidit, longè præstantissimum.
- (u) in disp. de reticentia mysteriorum coram extraneis & catechumenis, quæ exstat L. 2. de sacramento Eucharistie.
- (x) in diff. de disciplinâ arcani Wittebergæ A. 1683. habitâ ejusque defensione, in exercitationibus selectis Francofurti A. 1692. impressis.
- (y) in dissertatione apologeticâ de disciplinâ arcani Romæ A. 1685. editâ.
- (z) in Annalibus Politico-Ecclesiasticis T. 2. diff. 12. quæ agit de catechumenis eorumque baptismo.
- (a) in primis Tubingensibus P. 2. p. 149. sqq. & de originibus juris ecclesiastici C. 3. art. 1. notâ (f), art. 3. notâ (h).
- (b) de republicâ Ecclesiastice L. 5. C. 5. itemque C. 12. n. 22. sqq.
- (c) in instructionibus Historico-Theologicis L. 9. C. 4. f. 449. 450.
- (d) de Episcopis L. 3. C. 5. quod est de potestate confirmandi baptizatos, p. 520. sqq. Addatur idem ad Lancelotti instit. Juris Canonici L. 2. tit. 4.
- (e) Sec. IV. T. 2. p. 783. sqq.

REMIAS TAYLOR & RICH. BAXTERUS (f),  
LUC. HOLSTENIUS (g), LEO ALLATIUS (h),  
CLAUDIUS SALMASIUS (i), DAVID BLON-  
DELLUS (k), JO. BAPTISTA COTELERIUS (l),  
FRID. SPANHEMIUS (m), MATTHÆUS LAR-  
ROQUANUS (n), TROGILLUS ARNKIEL (o),  
PHIL.

- (f) Uterque de confirmatione peculiarem tractatum scripsit, An-  
glicano idiomate.
- (g) Hujus exstat dissertatio duplex de ministro confirmationis apud  
Gracis primùm Roma A. 1666. 8. edita, postea JO. MO-  
RINI exercitationi de sacramento confirmationis Parisis  
A. 1703. impressæ adjecta.
- (h) de Synodo Photianâ p. 523. sqq.
- (i) in apparatu ad libros de primatu Papa p. 80. sqq. Idem p. 84.  
memorat, se peculiarem de christmate tractatum conscripsisse,  
qui verò lucem haud vidi. Ceterum adjungere hic SAL-  
MASIO & HUG. GROTIUM poteramus & laudare epistolas  
illius quasdam, si negotium is datâ operâ ibi exposuisset aut  
ea dedisset, qua magnam rebus lucem adispergerent.
- (k) in apol. pro sententiâ Hieronymi de Episc. & Presb. sect. 3. n. 5.
- (l) ad Constit. Apost. L. 3. C. 15.
- (m) in diatribâ priore Heidelbergensi de rito impositionis manuum  
in Ecclesiâ vetere ac degenerâ ejus usu P. 1. §. 3. sqq. Opp.  
T. 2. f. 873. sqq.
- (n) in adversariis sacrâ L. III. C. 7. p. 496. sqq. ubi habetur  
dissertatio de iis, penes quos recens tintos jus erant tingends  
bisque imponendi manus, ex Gallico idiomate latinè conver-  
sa. Invenias hic egregia, sed quæ ex MORINO atque  
HOLSTENIO Vir eruditus largâ nec avara manu deprom-  
psit, ubi collatio docet.
- (o) Habetur hujus Christliche Confirmation der Catechumenen  
Schleswig A. 1694. 4. Scriptus est hic liber occasione con-  
firmationis in Hollaticas Ecclesiâ reducâ.

PHIL. JAC. HARTMANNUS (p), CAROLUS DU FRESNE (q), CASPAR CALVOERIUS (r), JO. CASP. SUICERUS (s) & ANTONIUS AUGUSTINUS TOUTTÆUS (t). Nescio verò , num & ea addi hic mereantur , quæ de hoc argumento alii cubi (u) diximus. At sanè alias adhuc in progressu hujus prodromi & tractatione ipsa nominabimus (x).

### ARTICULUS TERTIUS.

Patietur jam lector benevolus , ut ex historiâ Theologiae polemicæ fragmentum quoddam hîc depro-mamus , istasque controversias , quæ in Ecclesiâ de confirmatione enatæ sunt , paucis , ut eò solidior rerum nobis ingeratur idea , recensearimus. Prima controver-sia ex illis una fuit , quæ Ecclesiam Græcam à Latinâ divisere. Nôrunt rerum gnari , PHOTIUM , Patri-

( p ) in *commentario præstantissimo de rebus gestis Christianorum sub Apostolis C. 17. p. 436. lqq.*

( q ) in *glossario ad scriptores mediae & infimæ Latinitatis vocem confirmatio f. 1281.*

( r ) in *rituali ecclesiastico P. 1. L. 2. sect. 1. p. 304. lqq. Adde p. 249. 263. 280. ubi & de confirmatione Clinicorum Vir doctus agit.*

( s ) in *thefauro ecclesiastico ad vocem Χείτημα T. 2. f. 1534. lqq. ubi plurima egregia invenias.*

( t ) in *dissertatione Cyrilliana III. C. 8. f. 189. lqq.*

( u ) de originibus juris ecclesiastici C. 3. art. 3. notis ( i ) ( k ).

( x ) *Confer & J. A. FABRICIUM in Bibliographiâ antiquariâ C. XI. n. 25. p. 393. lqq. L. ELLIES DU PIN in methode pour étudier la Theologie Ch. 20. p. 255. & CAR. WITASSIUM in quellions Theologiques p. 60. 61. Hi enim alias adhuc Autores de confirmatione citant , quos nos haud nominavimus.*

-72

Patriarcham Constantinopolitanum , qui seculo IX. vixit , in epistolâ encyclicâ ad Archiepiscopales thronos per Orientem obtinentes inter alia quoque & capropter Latinis hæresin impegitte , quod Christianos in Bulgariâ noviter conversos denuo christmate inungere haud dubitaverint & Presbyterorum christma inutile quiddam ac frustra factum commenti sint ( a ). Dedit hoc ipsum cum reliquis , quas contra Latinos formavit , objectionibus ansam infinitæ liti , cuius actores ubi sint inveniendi , jam in articulo præcedente ( b ) indicavimus . Mirum capropter videri possit , esse , qui perpetuam nihilominus Ecclesia orientalis & occidentalis confessionem somnient , inter quos , quod maximè argumentum de sacramentis spectat , eminet PETRUS ARCUDIUS , Corcyrensis ( c ). Secunda controversia de confirmatione in Concilio Florentino acta est . Mirum est , quantâ cum præcipitantiâ tractatum hic negotium sit , ita , ut demùm post conclusam synodus subscriptamque illius definitionem , cùm antea de confirmatione planè dictum nîl fuisset , quæsitum à Græcis fuerit : *Quare Episcopi non inungunt sacro chris-*  
C  
*mate*

( a ) Vide PHOTII epistolas Græco-latinas à RICH. MONTACUTO , Episcopo olim Norvicensi Londini A. 1651. editas f. 50. 51. Dederat eam primùm Card. BARONIUS sed latine tantum , versam à FRIDERICO METIO , annalium T. X. ad A. C. 863. sect. 27. Græcam primus ante alios exhibuit MONTACUTIUS.

( b ) notâ ( d ) p. 12.

( c ) Iste enim de concordia Ecclesiæ occidentalis & orientalis in septem sacramentorum administratione VII. libros Parisiis editis , qui sèpius prodidere . Vitam ARCUDII sed valde mancam dat LÜD. ELLIES DU PIN in nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques T. 17. p. 56. edit. Amstelod.

smate sed Sacerdotes , cùm hoc Pontificibus sit datum ? Quam quæstionem canonice legitimèque dissolvisse Dorothœum , Metropolitam Mitylenensem ait Actorum scriptor Græcos , ( Latini enim nîl memorant , ) etsi haud ajat , quomodo illam dissolverit ( d ). Id certum est , Eugenium IV. in decreto de unione Armenorum confirmationem solis Episcopis adjudicâsse ( e ) & Gregorium Protosyncellum in apologia adversus Marci Epistolam dissensum Ecclesiæ Græcæ & Latinæ silentio hic præteriisse ( f ). Unde vix adparet , quid sibi velit LUCAS HOLSTENIUS , quando scribit , Eugenio in admittendâ presbyterali confirmatione nullam fuisse moram aut tergiversationem ( g ). Tertiam controversiam de confirmatione peperit egregia illa & præstantissima Ecclesiæ reformatio , quæ ante CC. annos contigit . Præluerant jam ( h ) Waldenses , Wiclesitæ & Hussitæ , qui confirmationem Romanam admittere recusabant . Certè Waldenses & confirmationem per solam manuum impositionem & à laicis quidem administrandam censuere , uti refert REINERIUS SACHONUS ( i ) & ÆNEAS SYLVIUS ( k ). De JO. WICLE-

( d ) Vide Conciliorum T. IX. ex editione HARDUINI f. 429. 430.  
Cooper tamen & JO. MORINUM de sacri. confirm. C. 21.  
p. 108. sqq.

( e ) l. c. f. 438. 439.

( f ) l. c. f. 619. sqq.

( g ) de ministro confirmationis p. 15. edit. Paris.

( h ) Jam verò Novatianos quoque & Donatistas confirmationi chrismatique adversatos fuisse ait ROB. BELLARMINUS in libro de confirmatione C. 1. §. Non sunt autem

( i ) adversus Waldenses C. 5. Adde PYLCDORIUM adversus Waldenses C. 28. & junge BOSSUETI hist. de Variat. des Eglises Protest. T. 2. L. XI. §. 107. p. 183. itemque BAS-  
NAGII Hist. de l' Eglise f. 1438. 1439. 1443.

( k ) in historiâ Bohemicâ C. 35.

WICLEFO notissimum est , quod duo saltēm sacramenta agnoverit & chrisma rejecerit , unde & à Concilio Constantiensi dicam ipsi scriptam esse ait HENR. WHARTON ( 1 ) . De Hussitis res itidem patet . Etsi enim ipse JO. HUSSUS de confirmatione Romanā in sequiore partem nondum senserit , ipsius tamen sequaces , sententiam WICLEFI tenentes , chrisma rejercere ( m ) . Secuti postea sunt MART. LUTHERUS , HULDRICUS ZWINGLIUS , PHIL. MELANCHTHON , JO. CALVINUS , confirmationis Pontificiæ sacramentum itidem rejicientes ( n ) . Quænam LUTHERI Megalandri sententia de confirmatione sit , ex libro de captivitate Babylonicâ Ecclesiæ ( o ) patet . Hunc cùm HENRICUS VIII. Angliae Rex in libro de septem sacramentis adgressus esset , durum sat calamus LUTHERUS adversus Regem , ut constat , strinxit atque etiam confirmationem inter alia explosit , eam nempe , quæ Pontificia est . Evangelicam enī adeò non abhorruit , ut eandem cum Theologis Wittebergensibus JO. BUGENHAGIO , CASP. CRUCIGERO , GEORGIO MAJORE & PHIL. MELANCH-

C 2 LANCH-

( 1 ) in append. ad hist. lit. Script. Eccl. GUII . CAVEI ad A. 1360 . vocem Wiclefi f. m. 41. b. Confer autem , si placet , Trialogum Wiclef L. IV. C. 14. & Thomam Waldensem de sacramentis tomo 2. c. 113.

( m ) Vide Confessionem Taboritarum A. 1431. conscriptam & Basilea A. 1568. 8. editam C. 7. p. 15. sqq.

( n ) Non opus est , ut libros & loca allegemus , cùm otium hic nobis fecerit ROB. BELLARMINUS in libro de sacramento confirmationis C. 1.

( o ) Vide T. 2. Jen. f. 293. b. ubi LUTHERUS ait , confirmationem non esse sacramentum divinitus institutum sed cérimoniam saltēm ecclesiasticam .

LANCHTHONE in formulâ illâ reformationis, quæ A. MDXLV. prodiit ( p ), Electori Saxoniæ in Ecclesiâ reducendam commendaverit ( q ). Et sanè confirmatio hæc à labe Romanâ repurgata jam A. MDXXXIX. à Joachimo II. Electore Brandenburgico in terras suas introducta erat ( r ), ab Elisabetha itidem , Erici , Ducis Brunsvicensis viduâ A. MDXLII. ( s ) & ab Hermanno , Colonensi Archiepiscopo A. MDXLIII ( t ), qui sanè omnes egregias confirmationis formulas in ordinationibus suis exhibent . Ast pergendum est . Quarta controversia de confirmatione agitata fuit in colloquio Ratisbonensi A. MDXLI. ubi ab Imperatore libel-

( p ) Exstat apud SECKENDORFIUM in comm. de Lutheranismo L. 3. f. 522. lqq.

( q ) n. 12. Digna sunt verba , quæ adponamus : *Valde necesse esset in omnibus ecclesiis , tradi ceris diebus catechismum , ut pueri adfuererent ad verbum & nativum intellectum omnium articulorum & partium doctrina Christianæ . Ad hanc consuetudinem sanciendam prodesset ritus confirmationis . Cum videlicet exaltà pueritâ jam firmior etas seu adolescentia accederet , palam in Ecclesiâ audienda esset integra doctrina confessio & cum interrogaretur promitteret constantiam in hac ipsâ sententiâ recitatâ & in hujus Ecclesiâ sua confessione , manus Pastoris ei imponenda essent & publicâ precatione pertenda mentis & cordis in hoc confidente confirmatio & gubernatio . Hæc ceremonia non esset inane spectaculum , ut nunc est Episcoporum ritus , sed profutura esset ad retinendam doctrinæ puritatem & propagationem sententia ecclesiastica , ad concordiam & ad disciplinam . Hactenus LUTHERUS cum Theologis Wittebergenibus , apud SECKENDORFIUM l. c. f. 524. b.*

( r ) Vide SECKENDORFIUM l. c. L. III. f. 239.

( s ) Vide eundem l. c. f. 520. 521.

( t ) Vide rursus eundem l. c. f. 445. & quæ mox dicemus.

ineundam in controversiis religionis ( u ), quo facramentum confirmationis cum aliis urgebatur plurimum. Sed nihil hic actum , & ad articulum de confirmatione à Protestantibus ne quidem responsum fuit, ubi de iis, quæ majoris adhuc ponderis erant, conveniri non poterat ( x ). Quinta de hoc argumento contentio fuit inter HERMANNUM Coloniensem Archiepiscopum & Canonicos Colonienses. Ediderat quippe , MART. BUCERO obstetricante , Archiepiscopus præstantissimus ordinationem ecclesiasticam longe excellentissimam ( y ), ubi confirmationem Evangelicam maximè quoque stabiliverat egregiamque illius formulam condiderat ( z ). Hoc ferre haud valentes Canonici Colonienses antididagma edere ( a ), in quo Archiepiscopi de confirmatione sententiam Evangelicam refutârunt ( b ), quam verò ille

C 3

( u ) Edidit illum in actis Colloquii Ratisbonensis Argentorati A. 1541. 4. MART. BUCERUS , ubi vide p. 15. & in apostoli pro Principebus Catholicis contra Bucerum JO. ECKIUS Ingolstadii A. 1542. 4. ubi confer p. 17. 18.

( x ) Et iam neque MELANCHTHON neque BUCERUS in responsionibus suis quicquam ad hunc articulum reposuerunt. Quo ipso silentio tamen errores , de quibus nūl monuerant, non approbavere. Vide SECKENDORFIUM l. c. f. 364. a.

( y ) Vide ejusdem einfältigs Bedencken , worauf eine Christliche in dem Wort Gottes gegründete Reformation anzurichten seye. Editio , quam ad manus habemus , Bonnae edita est A. 1564. in folio.

( z ) Vide f. LXXXVIII. b. sqq. Tam pia , tam egregia sunt , quæ hic habentur , ut legi prorsus mercantur.

( a ) Coloniae A. 1544. in folio.

( b ) f. 41. 42. Adde prorsus institutionem ad pietatem Christianam

narrat

ille in scripto apologetico ( c ) egregiè defendit. Sextam de confirmatione item decantatus ille liber , qui INTERIM vocatus est , peperit. Constat iis , qui hunc de religione libellum ( d ) legerunt , esse in eodem peculiarem quendam de confirmatione articulum , penitus sententiae Romanæ congruum ( e ). Ast constat quoque , quanto cum fervore contradixerint Theologi cordatiiores. Etsi enim essent , qui libellum hunc *interimisticum* admitterent , maximè Wittebergenses & Lipsienses , id quod triumphi materiem gratis hic præbet BELLARMINO ( f ) , maxima tamen pars clamores contra hunc librum in cœlum usque sustulit. Qui confirmationi ante omnes alios hic infensus exstitit , fuit MATTHIAS FLACIUS , Illyricus

---

nam à Concilio Provinciali Moguntino sub SEBASTIANO , Archiepiscopo Moguntino A. 1549. habitu Moguntia eodem anno in folio editam f. 160. sqq.

( c ) Titulus est bestendige Verantwortung auss der Heil. Schrift &c. Prodiit Bonna A. 1545. in folio. Confer f. 108. b. sqq.

( d ) Praescripsérat Protestantibus A. 1548. Carolus V. Imperator in hoc libello , quā ratione *interim* doctrina & cultus publicus inflecti deberet , donec in Concilio libero res religionis penitus decidenter. Noti sunt Autores *Julius Flugius* , *Episcopus Naumburgensis* , *Michael Sidonius* , *Suffraganeus Moguntinus* , postea *Episcopus Merseburgensis* , & *Jo. Agricola* , *Illebius*. Nota & sunt turbæ , persecutio[n]es , scripta eristica & Interimismus atque Adiaphorismus exinde natu[r]is. Nos hisce jam non immoramus , quæ alibi dabimus pleniora.

( e ) Vide LUCÆ OSIANDRI epitomen h[ab]it. Eccl. cent. 16. p. 450. 451. Hic enim totum illud *interim* insertum sed &c. in notis adjectis ab OSIANDRO refutatum videoas.

( f ) in libro de confirmatione , mox sub initium.

ricus, & JO. BRENTIUS, magni libelli interimistici  
adversarii (g). Nec dici tamen potest, nostros luxuriā frondium hīc cum cum radice arboris exscidiisse. Certē enim confirmationem Evangelicam, à labē superstitionis repurgatam nemo est, qui rejecerit (h). Septima de confirmatione controversia nata est in Concilio Tridentino, non de eo quidem, num confirmatio ad epheborum instruptionem & examen possit aptari? id quod communi illico, ast maledicto risu fuit explosum, sed de quæstione, num solus Episcopus vel Presbyter etiam administrare confirmationem possit? prius Franciscanis, posteris Dominicanis affirmantibus. Ubi ita tandem lis decisa est, confirmationis ministrum ordinarium utique solum Episcopum esse. Conferri merentur hīc PAULUS SARPIUS (i) & SFORTIA PALLAVICINUS (k). Jam verò Concilii Tridentini decisa (l) egregiè postmodùm refutārunt Theologi Protestantes. Ex plurimis duos saltem sed præstantissimos Scriptores nominamus

(g) FLACII libellus ad manus jam non est. BRENTII, qui propter iō Interim multa passus est aliudque nomen sibi dedit, tentiam vide in bedencken elicher Predicanen als der zu Schwebisch Hall &c. A 2 b.

(h) Vide maximè ANDREÆ OSIANDRI Bedencken auff das Interim, B. 2. C. 3, item Bekentnüs und Erklärung auffs Interim der Stedte Lübeck, Hamburg, Lüneburg &c. p. 34. b. sqq. porrò Theologorum Minimæ congregatorum Bericht vom Interim D 4, ut alios plurimos libellos hanc item tum editos prætercamus.

(i) in historiâ Concilii Tridentini L. 2. p. 394. 412. 413.

(k) in Concilii Trident. historiâ P. 2. L. 9. C. 7. §. 10. seqq. f. 14. sqq.

(l) de confirmatione tanquam sacramento à solo Episcopo admittendo.

namus MARTINUM CHEMNITIUM ( m ) & JO.  
HENR. HEIDEGGERUM ( n ). Octavam de confirmatione controversiam illam facimus, quae JO. BRENTIO nostro cum PETRO A SOTO, Monacho Dominicano intercessit. Constat, in Confessione Wirtembergicâ peculiarem de hoc argumento esse titulum, ubi confirmatio Pontificia rejicitur ( o ). Hunc aggressus est ille Asotus in assertione catholicæ fidei eamque jugulare conatus est scholiis suis perquam junis ( p ). Respondit BRENTIUS luculentissimè & pro eâ, quâ mirificè pollebat, eruditione in Apologiâ Confessionis Wirtembergicâ ( q ). Nonam controversiam de hoc argumeto habuere Theologi Wirtembergenses cum Jeremiâ, Patriarchâ Constantinopolitano, uti ex actis & scriptis amoebatis liquet. Loca de confirmatione & christmate infra notamus ( r ). Decimam de confirmatione controversiam suscitavit CÆSAR BARONIUS, Cardinalis, qui ad A. XXXV. ( s ) ex Act. VIII. deducere confirmationis sacramentum sustinuit. Hic verò pa sim à nostris refutatur. Præcipios, quos allegare jam vacat,

( m ) in examine Concilii Tridentini P. 2. loco 3. f. 341.

( n ) in tumulo Concilii Tridentini T. 1. p. 689. sqq.

( o ) Vide Confessionem Wirtembergicam cum assertione Soti & apologia editam Francof. A. 1561. fol. T. 1. f. 11. 12.

( p ) l. c. f. 71. 72.

( q ) l. c. f. 484. sqq.

( r ) Edita fuere illa acta Wittebergæ A. 1684. in folio. Jam confer primum Patriarchæ responsum f. 63. 64. responsum ad primum Patriarchæ responsum f. 174. 175. secundum Patriarchæ responsum f. 238. sqq. responsum ad secundum Patriarchæ responsum f. 314. tertium Patriarchæ responsum f. 368. & responsum ad tertium Patriarchæ responsum f. 374.

( s ) num. IX. sqq.

vacat , habe CHRISTIANUM KORTHOLDUM ( t ) & SÄM. BASNAGIUM ( u ). Undecima statio debetur ROB. BELLARMINO , itidem Cardinali , cuius exstat de confirmationis *sacramento* liber singularis , eruditè scriptus ( x ), cuius lateri JAC. GRET-SERUM eapropter jungimus , quoniam hic BELLARMINUM contraxit , itemque MART. BECANUM ( y ), qui & inter Polemicos Ecclesiaz Romanaz Viros insigne sibi nomen consecutus est . Jam verò nimia hæc esset opera , si omnes illos , qui BELLARMINUM hic refutarunt , qui & GRET-SERUM & BECANUM hic depexuerunt , nominare vellemus . Paucos , agendum , notemus contra primum . Evolve , si placet , CHRIST. DREJERUM ( z ) & JO. AD. SCHERZERUM ( a ). In genere velim , ut contra Romanenses

D

hic

( t ) in disputatione anti-Baronianâ IV. de confirmationis , quod Pontificii vocant , sacramento . Kilomii 1677. 4.

( u ) in annalibus Politico-Ecclesiasticis T. 1. f. 470. sqq. & exercit. historico-criticis de rebus sacris & Ecclesiasticis ad Aët. VIII. 17.

( x ) Vide disputationes de controversiis Christianaz fidei adversus hujus temporis hereticos T. 3. f. 299. sqq. Jam verò solus BELLARMINUS inter Pontificios haud exstitit , qui datâ operâ & ex professo , quod ajunt , de confirmatione scripsit . Jam enim prater eos , quos infra dabimus , AURELIUM , SIRMON-DUM , MORINUM , HOLSTENIUM , DE SAINTE-BEUVE , NAT. ALEX. alias notandus est BARTHOL. UGOLINUS , qui de sacramento confirmationis tractatum Bononiæ A. 1609. edidit , EUCHERIUS SANGIUS , cuius existant confirmationis & extreme unctionis encomia Herbipoli codem anno edita , & BASILIUS PONTIUS , cuius habetur de sacramento confirmationis liber cum notis PETRI DAMASI DE CONINGK , Brugensis , Lovanii 1642. 4.

( y ) in operibus f. 642. 643.

( z ) in controversiis cum Pontificiis præcipuis p. 972. sqq.

( a ) in anti-Bellarmino p. 514. sqq.

hic consulas HULSEMANNUM ( b ), B. MEISNERUM ( c ), BROCHMANDUM ( d ) DANNHAWERUM ( e ), ITTIGIUM ( f ), CHAMIERUM ( g ), RIVETUM ( h ), Theologos Salmurienses ( i ), F. TURRETTINUM ( k ), HEIDEGGERUM ( l ), JAC. BASNAGIUM ( m ). Plures alios , imò infinitos Scriptores polemicos , vulgares maximè , qui in hoc scriptionis campo sese exercuerunt , nulli nominamus . At verò & infinita res operæ esset , si omnes Scholasticos , si omnes Systematicos , si omnes Monachos , qui in compilationibus suis de confirmatione egere & ubi unus alterum exscripsit , dare vellemus . Quae ipsa dum scribimus , duodecima de hoc articulo controversia in memoriam nobis labitur , quæ agitata fuit inter GREGORIUM de VALENTIA , ut arbitrator , & JAC. HEERBRANDUM , Cancellarium Tubingensem . Hujus enim *disputatio longè eruditissima de confirmatione , opposita Jesuite Ingolstadiensis ejusdem argu-*

- 
- ( b ) in manuali Confess. Augustanae . Vide indicem in voce *confirmationio* .
  - ( c ) in tr. de sacramentis p. 77. sqq.
  - ( d ) in syst. Theol. T. 2. f. 434. 435.
  - ( e ) in *μυστηριού της Εκκλησίας* sive tractatu de sacramentis p. 515. sqq. & in homomoriâ spiritû Papai T. 2. p. 449. sqq.
  - ( f ) in fel. cap. Hist. eccl. Sec. I. p. 246. 247. & Sec. II. p. 159. 160.
  - ( g ) in Panstratiâ Catholicâ T. 4. L. 4. C. 7. sqq. f. 78. sqq. & in corpore Theologico L. 7. C. 9. f. 388. 389.
  - ( h ) in corp. Theol. T. 3. f. 311. sqq.
  - ( i ) in synt. Theol. P. 3. p. 241. 242.
  - ( k ) in Instit. Theol. elenct. P. 3. p. 614. sqq.
  - ( l ) in corpore Theol. T. 2. f. 499. 500.
  - ( m ) in Histoire de l' Eglise f. 1617. 1618.

*argumenti disputationis* ( n ) ad manus nobis est , quam M. GEORGIUS FLECK , Calvensis die XVII. Febr. A. MDLXXVI. Tubingæ sub ejusdem præsidio defendit. Huic disceptationi , ne entia præter necessitatem multiplicemus , jungimus controversiam de hoc argumento inter JAC. KELLERUM , Jesuitam Ingolstadiensem & JAC. HEILBRUNNERUM , Theologum Palatinum tūm , mox Wirtembergicum reciprocata. Egerat ille de confirmatione *in dem uncatolischen Papstum* ( o ) , egregieque causam defenserant. Reposuit KELLERUS *in dem catholischen Papstum* ( p ) sua , itidem non sine magnâ doctrina copiâ , quæ verò diluit dein GEORGIUS ZEÆMANNUS , Theologus Campidonensis *in der ferneren gründlichen Offenbarung des uncatolischen Papstums* ( q ). Restant tres adhuc præstantissimæ controversiae de confirmatione , cæteris omnibus nobiliores , quas jam dabimus. Prima acta fuit inter CYRILLUM LUCARIUM & Synodos illas Græcas , contra ipsum congregatas. Secunda inter JAC. SIRMONDUM & PET. AURELIUM. Tertia inter JO. DALLÆUM , HENR. HAMMONDUM , JAC. DE SAINTE-BEÜVE & NAT. ALEXANDRUM. Ro-

D<sub>2</sub> gamus

- (n) Allegari hanc videas in MART. LIPENII Biblioth. Theol. T. I.  
f. 405. a.

(o) art. 19. f. 7210 sqq. ubi &c, quæ ratio Evangelicæ confirmationis sit, docetur egregiè, & omnia ex monumentis veteris Ecclesiæ magnâ cum eruditioне eruantur. Prodiit liber prestatissimus Laugingx A. 1604. fol.

(p) T. 2. att. 16. f. 804. sqq. Cusus est hic liber Monachit A. 1614. in folio. 2. Tomis.

(q) T. 2. in apol. artic. 19. f. 864. sqq. Impressus est hic liber Francofurti ad Mœnum A. 1621. in folio. 2. Tomis,

gamus autem, ut patienter lector hanc nostram prolixitatem ferat, cui eò magis dabit ille, ita speramus, veniam, quòd rariùs subinde ista recenseri vulgo conspiciuntur. Primæ controversiæ historiam paucissimis dabimus. Constat, CYRILLUM LUCARIUM, Patriarcham primò Alexandrinum, post Constantiopolitanum in priore seculo Reformatam fidem in Ecclesiis Græcas invehere voluisse, eaque propter confessionem fidei condidisse, in quâ nonnisi duo N. T. sacramenta agnoscit, exclusa quoque confirmatione (r). Sed hanc ipsius sententiam in variis Synodis damnârunt Græci, maximè in Hierosolymitanâ, quæ A. MDCLXXII. habita fuit (s). Sequitur secunda illa inter PETR. AURELIUM (t) & JAC.

(r) art. 15. 16.

(s) decretu 15. Vide JO. AYMONII Monumens authentiques de la religion des Grecs p. 246. 353. 391. & Concilia HAROLDINI T. XI. f. 174. 227.

(t) Fictum hoc nomen est, sub cuius larvâ latuit Jean du Verger de Hauranne, Abbé de S. Cyran, JO. VERGERIUS HAURANNIUS, S. Sigismanni Abbas. Vide VINC. PLACCIMUM de scriptoribus pseudonymis n. 298. f. 101. 102. Fuit hic Abbas Doctor Sorbonicus, eruditio[n]is laude longè clarissimus, ita, ut mirandum sit, H. GROTIUM de ipso tanquam ignoto homine scribere in epist. 318. f. 114. a. editionis Amstelodamensis, quâ A. 1687. in folio omnes ejusdem epistola cusa & in unum volumen fusæ fuere. Verba sunt ad Jo. Cordesium: Residua historia pertinentia ad controversiam, quæ in Angliâ nata in Galliam transit, libens agnovi. Sed quis tandem ille Petrus Aurelius, si tamen noscere fine suo periculo posset? An Sancyranus, an de Sancto Germano, an alius? Jam & ὡς ἐν μερόδει notamus, GROTIUM ep. 329. 350. 357. quoque de confirmatione suam senten-

JAC. SIRMONDUM ( u ) controversia , quæ prolixius exponi debet eapropter quoque , quoniam à Viris doctissimis ( x ) plenè recensita nullibi est . Res ita se habet . Miserat Urbanus VIII . Pontifex Romanus A. MDCXXV . in Angliam Richardum Smithæum , Episcopum Chalcedonensem , ut episcopalem ibi autoritatem exerceret . Id mālē ferentes Jesuitæ , penes quos haētēnū summa rerum erat , ita vexavere hunc Episcopum , ut ultrò cederet & in exilium migraret . Quod cūm ordini Jesuitarum malam notam inureret , hi scriptis libellis caussam suam defendere autoritatemque Episcopalem adgredi conati sunt . Proscripti hos libellos eodem ferè tempore anno nempe MDCXXXI . & Facultas Theologica & Archiepiscopus Parisiensis , accedente mox toto Episcoporum Gallicanorum cho-ro . Nec tamen sic repressus fuit Jesitarum calamus . Exstitit enim maximē Jesuita quidam Anglus , Jo. Fluide ,

Pro-

D 3

---

Sententiam promere . Ceterū PETRI AURELII opera jussu & impensis Cleri Gallicani Parisis A. 1646 . in folio , tribus tomis edita fuisse .

- ( u ) Jesuita hīc fuit olim , Ludovico XIII . Regi Galliæ à confessionibus , Vir eruditissimus , cuius vitam dedit LUD. ELLIES DU PIN in Nouvelle Bibliothe des Auteurs Eccles . T. 17 . p. 203 . sqq. edit. Amst . Opera ejus prodire Parisis A. 1696 . in folio 5 . Tomis . Recensentur eadem à TH. ITTIGIO de Biblioth . & Catenis Pattum C. 3 . p. 254 . sqq.
- ( x ) Vide JO. DALLÆUM de confirmatione L. 2 . C. 1 . p. 105 . sqq . & L. 3 . C. 2 . p. 301 . 302 . CASP. ZIEGLERUM in libro commentario de Episcopis L. 3 . C. 5 . 5 . 3 . sqq. p. 522 . sqq . & LUD. ELLIES DU PIN in Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques T. 17 . in vitâ P. de Marcâ p. 175 . & in vitâ Sirmondi p. 208 . 209 . Adde maximē argumentum operum P. Aurelii , iisdem præmissum .

Professor Audomari ( y ) in Belgio , qui mox *Danje-*  
*lis à Jesu* ( z ), mox *Hermannii Læmelii* nomen sum-  
fit ( a ) & hāc posteriore induitus larvā Audomaropoli  
laudato anno edidit librum sub titulo : *Hermannii Læ-*  
*melii , Antverpiensis , S. Theologiae Licentiatī & Canonici Le-*  
*ctoralis Ecclesiae cathedralis Audomarensis spongia , quā dilan-*  
*tur calumnia , nomine Facultatis Parisiensis imposita libro , qui*  
*inscribitur Apologia sancte sedis Apostolica &c.* Hunc librum  
jam refutavit deinceps PETRUS AURELIUS , Theo-  
logus ipse Sorbonicus ediditque Parisiis A. MDCLXXXII.  
*responsum disputationis ad spongiam illam Læmelianam ,*  
*quā tomum secundum operum ipsius conficit.* Con-  
trovertebatur inter *Læmelium & Aurelium* , num *confir-*  
*matio tantæ necessitat̄ sit , ut eapropter necessaria*  
*quoque in Angliā existimari debeat Episcopi Romanen-*  
*sis præsentia ? Negavit Læmelius quæsitionem atque existi-*  
*mavit , chrisma baptismale supplere defectum confirmationis ,*  
*quæ adhiberi utique postea possit & recte adhibeatur sed non necessariō.* Id quod inter alia pro-  
batum quoque ivit *Læmelius* ex Canone primo Concilii Arauficanī , ubi dicatur , *necessariam quidem esse chrisma-*  
*tionem , sed tamen satis esse semel in baptimate chrismari , suffi-*  
*cere enim unam benedictionem.* Respondit Aurelius , male  
sic istum canonem exponi , expressè enim sub finem dici : *Non prejudicans quicquam dico , sed ut necessaria ha-*  
*beatur chrismatio repetita , ubi male habeat antiqua editio Colonensis : ut non necessaria habeatur repetita chrismatio ,*  
*quam perversam lectionem nescio , ait Aurelius , cur P. Sirmondus sine causa sequi maluerit contra Frontonem Du-*  
*cæum ,*

( y ) *Saint-Omer.*( z ) *Vide PLACCII pleydonymos n. 1420. f. 376.*( a ) *Vide eisdem n. 1592. f. 421. 422.*

cum, qui exploratis diligenter vetustis manuscriptis ultima  
illi parti negationem non adjicit ( b ). Hæc cùm legisset  
SIRMONDUS, qui eo ipso tempore Concilia Galli-  
cana ediderat, pessimè fuit, dicam sibi scribi vitiati  
Arauficani canonis, quâ totum Opus suum suspectum  
reddatur. Itaque ergo contra Aurelium edidit episto-  
lam de rectâ emendatione Canonis Arauficani, cui suam re-  
sponsionem de canone Arauficano reposuit Aurelius. Edidit  
dein SIRMONDUS antirrheticum de Canone Arauficano,  
adversus Petri Aurelii, Theologi responsionem, quâ ejus  
epistolam infirmare conatus est. Parisiis MDCXXXIII. Sed  
nihil cunctatim Aurelius adversus hunc SIRMONDI li-  
bellum emisit anæticum aduersus errores & hereses, qui-  
bus canonem Arauficanum & sacramentum confirmationis  
aspergit Jacobi Sirmondi, S. J. Presbyteri antirrheticus.  
Hisce ita actis, rogante SIRMONDO, Rex utrique  
disceptanti injunxit silentium, quod tamen haud tenuit  
SIRMONDUS, sed edidit antirrheticum II. de Canone Arau-  
ficanico aduersus Petri Aurelii, Theologi anæticum, quo  
priorem ejus antirrheticum impugnare conatus est. Finem liti  
dein imposuit Aurelius atque aduersus antirrheticum II.  
SIRMONDI scriptis orthodoxum suum, qui libelli omnes  
inveniuntur ex parte in tomo quarto operum JAC.  
SIRMONDI & in tomo tertio operum PETRI AU-  
RELII. Mireris, lector, quantâ cum eruditio-  
nis, eloquentiae & judicii vi uterque disputantium pugna-  
verit. Victoriam tamen SIRMONDO ab ipsismet  
Pontificis Gallis adjudicatam esse itidem mireris ( c ),  
cùm,

( b ) Vide Opera Aurelii T. 2. f. 43. 44. Utriusque ibi, ut sem-  
per, habetur textus, & Læmelii & Aurelii.

( c ) Vide, si placet, PETRUM DE MARCA in notis ad Conci-  
lium Claromontanum, que habentur in dissertationibus se-  
lectis

cum, quæ defendit SIRMONDUS, causam Prote-  
stantium

lectis, Lipsia in folio editis, f. 269. sqq. NATALEM ALEXANDRUM in Hist. Eccl. T. 3. f. 434. & LUD. ELLIES DU PIN in Nouvelle Biblioth. des Auteurs Ecclesiastiques T. 17. p. 204. ubi: *Les Savans ont donné l'avantage au P. Sirmond dans cette dispute.* Certè in banc quoque sententiam it H. GROTIUS epist. 129. & JO. DALLÆUS L. 3. C. 2. p. 301. sqq. qui verò magnam Canonis partem è margine in textum intrusam gratis putat Vir doctus, cuius & sententiam adoptat CASP. ZIEGLERUS, (in quo egregio Jureconsulto miram historiæ ecclesiasticae scientiam non possumus non plurimum laudare & exosculari,) in L. 3. de Episcopis C. 5. §. 5. sqq. p. 522. sqq. ubi & PETRUM DE MARCA refutat §. 9. p. 525. Adde ad eundem canonem quoque FRANC. COMBEFISIUM ad Amphilochium p. 265. & EDM. MARTENE L. 1. de rit. Eccl. ant. p. 243. Sed aīs, lector, quis denique usus tot allegatorum de unico quodam casione sit? Esse hanc farraginem citationum quandam, quæ nauicam, quæ fastidium creet, & quæ ad ostendandam saltem lectionis copiam videatur esse comparata, prout tota historia literaria, cui tantum hodie pretium ponatur, nihil aliud sit, quam vel scientia ex fastu literario nata vel inanis quedam multorum autorum scientia, quæ magis Bibliopolæ quam eruditii sit. Sed non est, quod multa reponamus alieno loco. A postremo ut ordiamut, lubenter utique fatemur, eam historiam literariam parvi admodum momenti esse, quæ nudos librorum titulos refert, ubi res profundè ignorantur. Spectrum hoc est historia literaria, non historia literaria, quæ nonnisi verè eruditis solidèque doctis competit, quæ scientia rerum est. Porro, ubi Autores multi sine ratione allegantur & cumulantur, ubi & nonnisi spectra eruditorum in scenam producuntur, ibi utique appareat statim iudicii vel noticiæ defectus, vel inanis ostentatio & affectatio, consequenter pedantismus. Nos nullum Autorem, nisi cui eruditioris laudem Respublica literaria tribuerit, nos nullum

line

stantium egregiè juvent ( d ). De tertiâ , quæ adhuc nobis referenda restat , eaque ultimâ de confirmatione

E

con-

sine ratione & qui ad veritatem indagandam , qui ad noti-  
tiam rerum pleniorē dandam haud spectat , hīc alegamus .  
It , si forsitan Autor quidam præcipius , qui à nobis omis-  
sus fuerit , sit , inopiam & paupertatem nostram deprecamur .  
Facile enim fallitur aut deficit labilis , quā laboramus , memo-  
ria , neque etiam oculos nostros omnia subeunt . Nec est quo-  
que , quod porrò cauileris , lector , nos sic in longum , la-  
tum & profundum de hoc canone differuisse , & tamen illum  
haec non explicasse nec nostram de sensu hujus canonis  
dixisse sententiam . Respondemus . Reſponde . Jam enim pro-  
dromum saltem hīc scribimus , qui ad ipsam rerum tractatio-  
nem viam paret , istamque hīc colligimus rerum supelleſti-  
lem , quæ nobis in ipsa tractatione ului esse queat , ubi sanè  
& sententiam nostram de hoc Canone deinde sine mora di-  
cemos . Cæterum citatur ille quoque à Gratiano in Decreto  
P. 3. de consecr. dist. 4. c. 125. & habetur in Conciliis  
HARDUINI T. 1. f. 1784.

- ( d ) Ita sanè Aurelius dixit , Sirmonendum defendere I. Patres ver-  
ticias unctionem in Baptismo a ministris , & frontis in confir-  
matione ab Episcopis fieri solitam , unam eandemque habuisse  
& ejusdem efficientia . II. Frontis chrismationi non tribuisse  
veteres Spiritum Sanctum sed hunc effectum proprium esse  
putasse manus impositionis . III. Chrismationis Episcopalis ,  
qua in confirmationis sacramento adhibetur , iterationem in-  
noxiam seu non prejudicantem Patribus visam . IV. In ea  
chrismatione sicut non fuisse olim sacramentum confirmationis ,  
sed in sola manuum impositione , V. eaque sola sine  
chrismatione administratum pluribus sacerulis fuisse hoc sacra-  
mentum . VI. Eam chrismationem confirmationis sacramen-  
to ab Ecclesiâ adjectam ornatus solemniorisque pompe gratiâ .  
VII. unctionem , quæ nunc sit in fronte , ad baptismi ceri-  
monias olim pertinuisse . X. Posterioribus sacerulis aliama , quam  
antea

controversiâ pauca dabimus , prolixa breviaturi . Pugna Aurelii & Sirmondi occasionem præbuit JO. DAL-LÆO , Ecclesiæ Carentoniensis Ministro Reformato , Viro in antiquitate Ecclesiasticâ ad miraculum usque docto , conscribendi disputationem prorsus luculentam & egregiam de duobus Latinorum ex unctione sacramentis , confirmatione & extremâ unctione ( e ). Hic primò Vir doctus , quid sit confirmatio Romanensium , exponit , mox eam à Christianæ religionis ritibus abhorre docet , porrò Romanensium multa & antiqua de hoc argumento certamina sententiasque dissidentes recenset , dein , refutato prolixè BELLARMINO , omnia argumenta Romanensium pro hoc sacramento nulla esse ostendit , denique per omnia secula justo ordine vadit & historiam articuli hujus pleniorum tradit . Non verò sine contradictione diu substitut liber egrius .

---

antea confirmationis materiam , aliam formam esse cœpisse .  
 XI. Formam verborum , quâ nunc in illo sacramento utinam signo te & confirmo te , non antiquissimam videri .  
 XIII. Eam , ( quippe que enunciationis absolute speciem præfert ) à veteri alienam esse , quam Cyprianus & Augustinus orationem fuisse testentur . XV. XVI. Chrismationem frontis commissam olim vulgo tum presbyteris , tum ipsis etiam diaconis ab Episcopis fuisse . XIX. Et perpetuum apud Gracos fuisse , ut presbyteri eam frontis chrismationem , que apud Latinos Episcopalis dicitur , peragerent . XXIII. Apud veteres distinctas à se invicem fuisse chrismationem & manus impositionem . Hæc si ita se habent , egregia Protestantibus contra Ecclesiam Romanam in hoc articulo suppeditavit SIR-MONDUS & quidem Jesuita ille , qui inter suos multos , recentiores maximè , in plurimis confidentes habet . Adde JAC. BASNAGHI H. st. de l' Eglise f. 1617 .  
 ( e ) Genevæ A. 1659. 4. produxit liber eruditus .

gjus. Primus, qui eundem aggressus est, exstitit HENRICUS HAMMONDUS, Theologus Anglus. Scilicet notaverat DALLÆUS (f) errorem quendam HENR. HAMMONDI in explicatione duorum quorundam locorum veterum (g) commissum (h), ubi non solum gratis *acervias* Viris summis SALMASIO (i)

E 2

&amp;

(f) L. 2. de confirm. C. 18. p. 220. Adde jam & quod locum illum Hilarii attinet, eundem DALLÆUM de culibus Latinorum religiosis L. 2. C. 15. p. 173. sqq.

(g) Unus est Psevd Ambrosii in quest. in vetus & novum Testamentum. Verba sunt: *In Alexandriâ & per totam Agyptam, si desit Episcopus, consecrat Presbyter.* Alter ejusdem Psevd Ambrosii est in comm. in Paulum, in Eph. IV. ubi: *Denique apud Agyptum Presbyteri consignant, si praesens non sit Episcopus.* Constat, Autorem horum librorum esse Hilarium Sardum, qui A. 354. Ecclesie Romanae Diaconus existit. Agitata jam fuerant haec loca ab Aurelio & Simondo, qui ambo per *consignationem* vocem *christianem* intellexere. Vide antirrh. 2. p. 28. & orthodoxum p. 534.

(h) Vide HAMMONDI dissertationes quatuor de juribus Episcopatus aduersus BLONDELLUM Londini A. 1651. editas dis. 3. §. 6. 7. p. 162. ubi statuit idem, *consecrationem Eu- charistia per vocem consignationis* in istis loci intelligi.

(i) Vide apparatus ad librorum de primatu Papæ P. I. p. 80. sqq. ubi SALMASIUS per *consignationem* intelligit *ordinationem* sive Episcoporum sive Presbyterorum, salscque hic *Cercocetum*, id est, *Petavium* (hic enim nomen illud sibi dedit, ut videtur est apud PLACCIMUM in psevdonymo 606. f. 173.) refutat, qui loco mox citando *consignationem* istam per *christianem*, in confirmatione qua sit, explicavit & WALONEM MESSALINUM h. c. SALMASIUM perflixit, quod in dis. 1. de Episcopis & Presbyteris per *consignationem* istam nudam manuum impositionem eamque confirmatoriam

& BLONDELLO ( k ) exprobraverit , sed & ipse mirum errorem erraverit . Hæc malè tulit HAMMONDUS atque luculentum *de confirmatione tractatum* ( l ) repositum DALLÆO , qui sine morâ mox respondit ( m ). Ex Pontificis verò DALLÆUM aggressi sunt duo Doctores Sorbonici , JACOBUS DE SAINTE-BEUIVE ( n ) & NATALIS ALEXANDER ( o ).

Quod

toriam intellectam voluerit . Patet autem , SALMASIUM , qui primò per *confagationem* intellexerat *confirmationem* , postea in aliam dilapidum sententiam esse , quæ vocem istam pro *ordinatione* sumit .

( k ) in *Apologiâ pro sententiâ Hieronymi de Episcopis & Presbyteris* p. 57. ait BLONDELLIUS , perinde esse , sive quis per *confagationem* intelligat Eucharistia confectionem vel *christinationem* vel *ordinationem* . DALLÆI mens est , christinationem innui , imo & DIONYSII PETAVII de eccles. Hierarch. L. I. C. 12. §. 4. Theologicorum dogmatum T. 4. f. 31. a. atque JO. MORINI de sacram. confirm. C. 24. p. 108. & DAV. CALDERWOODI in alteri Damasceno p. 267.

( l ) Titulus est : *De confirmatione sive benedictione post baptismum solenni per impositionem manum Episcopi celebrata communitarius* , Dallæo & Maresio oppositus Londini 1661. 8. Exstat ad calcem T. IV. operum , quæ prodierunt Londini A. 1684. in folio , 4. Tomis .

( m ) Vide L. 2. de cultibus religiosis Latinorum , qui agit de confirmatione contra HAMMONDUM . Genevæ 1661. 4.

( n ) Hic Parisiis A. 1686. 4. edidit tractatum de sacramentis confirmationis & unctionis extremæ . Recenset librum LUD. ELLIES DU PIN in nouvelle Bibliothèque des Auteurs Ecclésiastiques T. 18. p. 200.

( o ) in historiam Eccles. Sec. 2. diss. 10. de sacramento confirmationis contra librum Jo. Dallei , Calvinistæ , T. 3. f. 418. sqq. editionis , quæ Parisiis A. 1699. in folio prodit .

Quod restat , duas controversias h̄c quoque memorandas , alias illas , ad articulum quintum reservamus , ne nimium augeatur numerus . Jam &c , ubi calatum sic ponimus , videmus , nimis excrevisse hunc , quem dedimus , articulum . Nec tamen possumus , quin memoremus adhuc unam , sed realissimam illam de confirmatione controversiam , ubi à verbis ad verbera ferè ventum fuit . Narrant de ALEXIO DE MENESES , Archiepiscopo Lusitanorum Goënsi , quòd in urbe Indicā Paru Christianos Indos ad fidem Romanam versurūs , cùm sacramenta Ecclesiæ Romanæ atque inter alia confirmationem quoque ipsis commendaret adderetque , cuivis confirmando Episcopum' alapam infligere ( p ) , Indos hosce ita adversus se concitaverit , ut arma contra ipsum sumserint , tantam injuriā vindicaturi . Lepida est historia , quam prolixiorē infra ( q ) damus .

E 3

ARTI-

( P ) Scilicet confirmato & signato infligitur ab Episcopo levis apud Romanenses alapa , eo fine , ut injurias patienter ferre discat . Ridicula est cérémonia , sequiore demum ævo nata .

( q ) Debemus historiam istam JO. AYMONIO , cuius hæc sunt verba : Menes prêchant un jour en habits Pontificaux dans la ville de Paru devant une grande multitude de Chrétiens Indiens , il s'étendit fort sur les prerogatives de l'Eglise de Rome & sur l'excellence des ses sacremens . On l'écouta assez paisiblement jusqu'à ce qu'il vint à exhorter ces peuples à recevoir la confirmation . Alors ils se soulevèrent tous , mettant la main aux armes , & dirent hautement , qu'ils ne se laisseroient pas confirmer , que leurs Evêques n'avoient jamais fait cela aux Chrétiens & que ce sacrement n'avoit pas été institué par JESUS-Christ , que l'Archevêque avoit dessein , de les rendre esclaves & vassaux des Portugais . Ils entendorent par là le signe de la croix , que l'Evêque leur faisoit avec

## ARTICULUS QUARTUS.

**H**icce ita præmissis jam totum illud tractationis de *expiatione & confirmatione catechumenorum quæstionumque & rerum hanc tractationem ingredientium pelagus in chartam hanc effundendum est. Qui de catechumenatu veterum ea, quæ necessaria sunt, dare voluerit, is discrimen *catechumenorum & fidelium*, quod olim in Ecclesiâ obtinuit, is diversas catechumenorum classes evolvere, is de disciplinâ catechumenorum, de catechetis veterum, de Diaconis & Diaconissis, queis id negotii datum fuit, de duplice generre catecheseos, uno catechumenorum, altero competentium, de initiatione ad catechumenatum per signum crucis, salis traditionem, quæ sacramentum catechumenorum est (a), manus impositionem &*

oratio-

ITRA

avec l'huile sur le front en leur administrant la confirmation, & le soufflet, qu'on donne en suite, leur paroîsoit un signe de sujetion & de captivité. Ils disoient, que, si ceux de Vaipicota avoient en le cœur assez lâche & assez avili pour se laisser souffletter, pour eux ils ne l'endureroient jamais. Hæc AYMONIUS dans les lettres anecdotes de Cyrille Lucar p. 82. Adde, si placet, Histoire critique de la créance & des coutumes des nations du Levant publiée par le Sr. de Moni, hoc est, per RICH. SIMONEM à Francfort 1684. 8. C. 8. p. 103. qui verò in sequentibus memorat, Indos nihilominus per Archiepiscopum vel tandem variis modis adactos fuisse, ut in Synodo d. 20. Junii A. 1599. habitâ ritum Romanum adoptaverint. Maximè verò consuli hic debet Histoire orient. des prog. d' Alexis Meneses chap. 20.

(a) Vide STEPH. MORINI dissertationum octo Dordraci A. 1700. 8. editatum test. an p. 109. 110.

orationem super catechumenos , de benedictione catechumenorum Episcopali , de disciplinâ arcani circa catechumenos , quæ tanta fuit , ut ne orationem quidem dominicam nosse vel orare ipsis licuerit ( b ) , de eulogiis à catechumenis haud acceptis & S. Eucharistiâ haec tenus ipsis , utpote nondum baptizatis denegatâ , de catechumenorum in baptismo accipiendo tergiversationibus & excusationibus , de expiatione eorumdem & præparatione ad baptismum per institutionem , exorcismos , exsufflationes , scrutinium & examen , confessionem peccatorum , jejunia aliaque opera laboriosa , professionem quoque fidei coram toto coetu vel Episcopo faciendam , de subscriptione symboli in tabulis ecclesiasticis , in quas ipsorum nomina referebantur , de spatio temporis ad agendum catechumenatum , de confirmatione baptizandorum Episcopali , à quo tempore catechumi dicti fuere eleiți , denique de tempore , quo disciplina ista catechumenatus exoleverit , ut alia plurima taceamus , curato calamo ager . Quando dein ad confirmationem baptizatorum fit transitus , per omnia secula inde ab initio nati Christianismi , per omnes Ecclesias , tūm Orientales tūm Occidentales eundem , & quæ sententia hīc , qui ritus obtinuerint , explicandum est , donec ad tempora Reformationis perveniatur , ubi dein tūm Ecclesiarum Latinarum , tūm Ecclesiarum Græcarum modernarum , tūm Ecclesiarum Protestantium hanc in rem placita & statuta evolvenda sunt .

Quæsti-

- ( b ) Hinc natam esse consuetudinem in Ecclesiis quoque nostris obtinetem , ut oratio dominica ante prælectionem Evangelii submissâ saltē voce recitetur , alibi diximus . Catechumenis enim , olim & in concione præsentibus , illam audire non licebat .

Quæstiones, quæ hic occurruunt, hæ sunt, num confirmatio sit sacramentum idque à Christo vel Apostolis institutum, num ex sacris scripturis probari illud possit vel num solum ex traditione id constet, vel num sit cærimonia saltem ecclesiastica baptismo olim annexa & sequioribus demùm temporibus à baptismo avulsa, num confirmatio sit necessaria Christiano necessitate exigentia an saltem expedientia, quænam olim fuerit materia confirmationis, num sola manuum impositio, & quando cessaverit illa? quando & successerit unctio, & num origo illius ex ritu gentili vel Judaico sit arcessenda, quando in utrâque Ecclesiâ duplex coeperebant chrismatio, quarum una est apud Latinos in vertice, baptismalis illa, altera in fronte confirmatoria, num post constitutionem Sylvestri in omnibus Ecclesiis Occidentalibus statim obtinuerit duplex chrismatio illa, quomodo conficiatur chrisma & num solus Episcopus id consecrare possit, num aliter chrisma conficiatur in Ecclesiâ Occidentali, aliter in Orientali, num sine unctione confirmationis sit nulla, num nudo oleo perfici confirmationis possit aut num balsamum quoque sit absoluè necessarium, num & perinde sit, sive balsamum Indicum sive Judaicum aut Ægyptiacum, à quo tamen illud specie differt, adhibetur? De formâ quæridas, num ea semper fuerit eadem, hoc est, num olim itidem fuerit indicativa ( c ) vel imperativa vel depre-

( c ) Talis est forma hodierna, quam ponit Rituale Romanum. Scilicet, quando Episcopus confirmandum in formâ crucis pollice chrismate illo ex oleo & balsamo confecto ungit in fronte, dicit: *Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, Filli & Spiritus S. Amen.* Postea sic

deprecatoria , & num forma sit oratio super confirmandum , quemadmodum materia manuum impositio , ex praxi Apostolicā ? Quaritur & , quodnam confirmationi & olim in Ecclesiā fuerit destinatum & nunc constitutum sit tempus ? Quisnam confirmari debeat ? Num confirmatio sit nulla , si confirmetur

F non

sic confirmato levem alapam infligit ipsique pacem dat . Jam querunt & hīc Casuistæ , nam , si confirmandus in fronte haud ungatur , vel undio pollice haud fiat , aut in formam crucis haud fiat , aut omittatur alapa aut pax , confirmatio sit nulla ? De formā crucis id jam in memoriam nobis labitur , & apud Judæos olim obtinuisse unctionem **לְמַוִּין כִּי וּנְהִתְחַנֵּן** in formā **χριστοῦ** , i. e. in formā crucis . Ita quippe unbantur Pontifices , cūn **לְמַבְטָח** in formā corona ungerentur olim Reges . Sic certè habetur in Talmude . Priorem illam formam **χριστοῦ** adpellat Aretæus Cappadox , **ἀντίγραμμα τοῦ κόσμου** ( quod figuram crucis repræsentat utique ) **χριστοῦ** , quæ Hippocratis verba sunt . Vide NICOL . DE LYRA ad Ex . XXIX . & Psalm . CXXXIII . JO . SELDENUM de successione in Pontificatum Ebraeorum L . 2 . C . 9 . WILHELMUM SCHICKHARDUM in Jure regio Hebraorum C . 1 . theor . 4 . cum notis J . B . CARPZOVI p . 75 . 76 . ABR . SCULTE-TUM in exerc . Evang . L . 1 . C . 52 . JO . BUXTORIUM in Lexico Talmud . & Rabbinico f . 1267 . 1268 . JOS . DE VOISIN ad Raymundi Martini pugionem fidei f . 309 . 310 . edit . Lips . FORTUNATUM SCACCHUM in sacrorum Elæochristianon Myrothecio II . C . 79 . p . 808 . sqq . edit . Rom . ubi tamen mira Autorem hunc ex ignorantia Rabbinismi somniare videmus , sed & eum in toto hoc opere , quod & Amstelodami A . 1701 . in folio prodit , nihil de christiane confirmationis dicere miramur . JO . LUNDIUM in den Jüdischen Heilighümern L . 3 . C . 5 . f . 446 . & HADR . RE-LANDUM in antiqui . sacr . vet . Ebr . P . 2 . C . 1 . § . 5 . p . 141 .

non baptizatus ? Num , qui infra annos septem sunt, confirmari haud possint , vel num liceat id in casu necessitatis ? Quâ ratione olim christmatio adhibita fuerit in pœnitentibus & hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus ? Num confirmationis effectus major quâ baptismi sit idemque præstantior ? Num per confirmationem conferatur gratia gratum faciens ? Num confirmatione spiritualem cognitionem efficiat inter confirmatos & Patronos & num hi in hoc actu sint necessarii & quis ipsorum origo ? Num confirmatione imprimat characterem indelebilem adeoque iterari non possit & num nunquam olim iterata sit ? Taceo multas alias quæstiones hîc occurrentes , quæ nunc , dum calamus iste currit , in memoriam nostram haud labuntur . Sed mare hoc est quæstionum , ut videt lector , quæ evolvi omnes datâ operâ à nobis non possunt . Itaque ergò , qui ad illius ripam jam stamus , dum hunc prodromum conficimus , in tractatione rerum , quam meditamur & quam , ubi benignus nobis adspiraverit Favonius , dabimus , mare illud ita sumus superaturi , ut ea certè , quæ necessaria sunt , dicamus , atque ad scopum nostrum præsentem & ad ædificationem maximè lectorum , qui præcipiuus finis noster est , cui attendimus , eo , quo par est , studio adplicemus .

## ARTICULUS QUINTUS.

**Q**uod restat , prodromi hujus , quem obtutui lectorum hîc sistimus , requirit ratio , ut , quem rerum dicendarum ordinem in ipsâ tractatione sumus servaturi , brevi penicillo jam delineemus . Erunt autem dissertationes quinque , quas de hoc arguento dare nostra mens fert , quarum & unicuique suum semper

per subiectetur *Thiueretur*. Prima de disciplinâ veteris Ecclesiæ circa catechumenos aget. Hic de Catechetis veterum *Thiueretur* subjungetur. Secunda confirmationem trium primorum seculorum sistet. Excipiet hanc *Thiueretur* de confirmatione apud veteres quosdam hereticos iustitâ ( a ). Tertia

F. 2

tia

( a ) Dabimus mox , bonâ lectoris pace , Autores huc spectantes , qui nobis , cogitata nostra huc primum vertentibus jam obvii sunt. Respicimus autem hic maximè ad veteres Gnosticos , qui sub Valentinianorum , qui sub Marcosiorum & Heracleonitarum nomine noti sunt. Et verò mirum sanè hoc est , quod isti hæretici longè ante orthodoxos in confirmatione suâ unctionem adhibuerint , cum variis precum formulâ , quas ἀπόλυτώσεις adpellabant , prout & apud Judæos נָלַח certa precatio est . Tradidit hac primum Ireneus adv. hæretes L. 1. C. 18. ubi & formularum istos sonos Hebraicos refert , expositu difficultissimo . Jam & Tertullianus L. 1. adv. Marcionem C. 14. de eodem scribit , quod oleo ungat suos . Nec omitti hic debet Theodosius apud Clemens Alex. in eclogis , qui oleo benedicto vim spiritualem adscribit. Quomodo & unctioni superstitionis invocations addiderint Heracleonitæ , Epiphanius hær. 36. sect. 2. & Augustinus de hæresibus C. 16. memorant. Novatiani è contrario christina nullum præbuere , quod ex Theodoreto & Eusebio refert P. J. HARTMANNUS in commentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis p. 440. Jam , si placet , confer , qui huc pertinent , Autores , JO. CROJUM in specimine conjecturarum sub finem , HENR. HAMMONDUM de confirmatione C. 6. sect. 1. §. 2. lqq. JO. DALLÆUM , qui HAMMONDUM hie refutavit , de cultibus Latinorum religiosis L. 2. C. 7. & 8. HARTMANNUM l. c. p. 437. 438. JAC. RHENFERDIUM in dissertatione de redentione Marcosiorum & Heracleonitarum , quæ habetur jam & in operibus ejusdem philologicis , Trajecti ad Rhenum

tia confirmationem Ecclesiae Graecæ veteris & modernæ (b) exponet. Sequetur ḥ̄μερον de Ecclesiarum orientalium reliquarum de confirmatione sententia (c). Quar-

ta

Rhenum hoc ipso anno à præstantissimo Viro DAVIDE MILIO editis p. 194. sqq. JO. ERN. GRABE in Irenæum f. 61, 88. sqq. & REN. MASSUETUM in diss. 1. in Irenæum prævia art. 2. num. VI. §. 91. sqq. f. LII. LIII. Adjungimus hisce, ejusmodiunctionem nec Gentilibus suisse incognitam. Facetur id PET. DANIEL HUETIUS in quæstionibus Alnetanis de Concordiâ rationis & fidei L. 2. C. 20. §. 3. Adde CASP. CALVOERII rituale ecclesiasticum P. 1. p. 245. sqq. ubi confirmationis umbram apud Brachmanes refert.

- (b) Conferri hic inter recentiores maximè meretur, quem supra laudare negleximus, scriptor præcipius JO. MICH. HEINECCIUS in der Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche P. 2. p. 186. sqq. & p. 258. sqq. Addi potest GABRIELIS, Metropolita Philadelphici οὐτεγμάτιον ωὲι τὸν αἰώνιον προγένετον C. 5. sqq. p. 38. sqq. editionis, quam RICH. SIMON dedit in fide Ecclesiaz Orientalis, & Confessio orthodoxa Ecclesiaz Orientalis P. 1. qu. 104. 105. p. 161. sqq. editionis Lipsiensis, quam LAUR. NORMANNUS edidit.
- (c) Confer hic JO. MORINUM de confirmatione per tetum, JO. DALLÆUM de confirmatione L. 1. C. 2. LUCAM HOLSTENIUM de ministro confirmationis p. 2. JO. FORBESIUM in Instruct. Hist. Theol. L. 1. C. 27. n. 9. f. 49. J. H. HEIDEGGERUM in tumulo Conc. Trid. T. 1. p. 699. RICH. SIMONEM in Histoire critique de la croyance & des coutumes des nations du Levant C. 8. p. 105. 113. C. 12. p. 142. C. 13. p. 154. itemque in Bibliothèque choisie T. I. p. 313. NAT. ALEXANDER Hist. Ecl. T. 3. f. 449. sqq. JO. ALB. FABRICIUM in Bibliographiâ antiquariâ p. 395. JO. AYMONIUM in Monumens authentiques de la religion des Grecs p. 82. 428. 430. & EUSEB. RENAUDOTIUM in collectione Liturg. Orient. T. 2. p. 308. 309. 374. 382. 516. 644. Plures jam non addimus.

ta de confirmatione Ecclesie Latine necessaria dicet cum  
*Scripturis de confirmatione paenitentium & hereticorum (d).*  
 Quinta confirmationem in Ecclesiis nostris receptam (e)  
 F 3 dabit,

- (d) Confer JAC. KELLERUM in dem uncatholischen Papstum f. 817. sqq. JO. MORINUM de sacramento paenitentiae L. 9. C. 8. sqq. f. 432. sqq. LUCAM HOLSTENIUM de ministro confirmationis p. 17. sqq. NAT. ALEX. in Hist. Eccl. T. 3. f. 443. sqq. CHRIST. KORTHOLTUM in disquis. Anti-Baronianâ IV. p. 136. sqq. & J. A. FABRICIUM in Bibliogr. antiqu. p. 394.
- (e) Nemo nescit , confirmationem, sed à labe Romanâ repurgatam in plurimis Ecclesiis purioribus receptam esse. Daremus earundem catalogum , nisi otium nobis hîc fecisset Theologus Stadensis , dum viveret , eruditissimus JO. HERMANNIUS AB ELSWICH in commentatione de reliquiis Paparum , Ecclesia Lutheranæ temere affictis p. 132. sqq. ubi plurima egregia hanc in rem refert. Et verò supra jam hanc in rem aliqua nos dedimus , ubi & LUTHERI Megalanthri consensum in partes nostras traximus . Confer & jam ERN. SAL. CYPRIANI anderer Theil nîzlicher Urkunden zur Erläuterung der ersten Reformations-Geschichte , ubi p. 410. sqq. habetur reformatio illa Wittebergensis , quam latram dederat SECKENDORFIUS , Germanicè & p. 420. tam enixè à LUTHERO & Theologis Wittebergensibus commendatur confirmatio sed rectè inflectenda. Èadem ratione de reductione confirmationis sed piis cum ceremoniis jam convenerant MART. BÜCRUS , GEORG. WICELIUS & GEORGII , Ducis Saxonie Consiliarii in Consilio illo irenicô , Lipsiae A. 1539. edito , quod recenset SECKENDORFIUS in comm. de Lutherismo L. 3. f. 559. Ita & , quâ ratione confirmatio recte adhiberi possit , valde multum utilitatis ita ad edificationem juventutis & totius Ecclesie collatura , ostendit MART. CHEMNITIUS in examine Conc. Trid. P. 2. loco 3. §. 25. f. 356. Ita porrò reductionem confirmationis in Ecclesiis nostra

dabit , ubi *Tractatus de confirmatione in Ecclesiâ Anglicanâ usitâ*

Itas plurimū optārunt vel ritum hunc laudārunt saltem aut  
abolitum doluerunt JO. QUISTORPIUS in piis desideriis n. 9.  
p. 57. JO. TARNOVIUS de sacro sancto ministerio L. 2.  
C. 22. p. 798. 799. ubi & hanc in rem PH. MELANCH-  
THONEM, AEGID. HUNNIUM & aliquor agenda Eccle-  
siastica citat, GEORGIUS CALIXTUS in dis. de baptismo  
n. 147. JO. CONR. DANNHAWERUS in der Catechi-  
smus-Milch P. 3. über das dritte Theil der Hauf-Tafel, in  
der dritten Predig. p. 364. 365. THEOPHILUS GROSSGE-  
BAUER, ante omnes alios hanc in rem allegandus , in der  
Wächterstimme aufs dem verwüsteten Zion C. 5. p. 64.  
JOACH. HILDEBRANDUS in Theol. dogmaticâ C. 18. §. 35.  
p. 596. 597. ubi & ad Agenda Lüneburgica provocat,  
PHIL. JAC. SPENERUS in den Theolog. Bedencken P. 1.  
p. 636. \* 52. 60. P. III. p. 396. sqq. P. IV. p. 255. sqq.  
& in den letzten Theologischen Bedencken P. I. p. 501. 504.  
P. III. p. 194. TROGILLUS ARNKIEL, Präpositus Apen-  
radensis Hollatus in der Christlichen Confirmation der Cate-  
chumenen, quem librum supra p. 15. laudavimus , GOTTF.  
ARNOLDUS in der wahren Abbildung der ersten Christen  
L. 2. C. 14. §. 13. f. 324. JO. HENR. MAJUS in dem  
Christlichen Unterricht von der Confirmation der Kinder,  
qui libellus Gießl. A. 1703. 12. secundâ vice prodiit, JO.  
MICH. HEINECIUS , super admodum demortuus in der  
Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche P. 2.  
p. 188. & vel maximè quoque Vir doctissimus CASPAR  
CALVOER in rituali Ecclesiastico P. 1. p. 328. 329. qui &  
p. 262. 263, memorat, Lutherum in primo suo baptisma  
chrisma quoque retinuisse , atque post baptismum immediatè  
ita orari jussisse : *Der allmächtige Gott . . . . . und hat  
dir alle deine Sünde vergeben, der salbe dich mit dem heil-  
samen Oel zum ewigen Leben.* His omnibus adjungimus  
duos

*uistatā (f) totam tractationem claudet. Et haec quidem , uti jam diximus , si faustus nobis adspiraverit Favo-*

duos JCtos præstantissimos JO. BRUNNEMANNUM de jure ecclesiastico L. 2. C. 1. membro 4. §. 2. p. 328. 329. & SAM. STRYKIUm in addit. ad h. l. p. 331. Eandem in sententiam abeunt plurimi Theologi Reformati JO. CALVINUS, qui in Instit. Christ. relig. L. 4. C. 19. prolixè de confirmatione agit, illamque plurimum commendat & evehit, f. 536. sqq. eandemque suam sententiam ad Hebr. VI. 2. pandit, GUIL. ZEPPERUS L. 1. Polit. Eccles. C. 14. & JO. HOORNBEEK in epist. ad Duræum p. 299. ut taceam Synodos Dordracenas annorum 1570. & 1578. articulis 70. & 64. quibus confirmatio præscripta est.

(f) Liceat & hīc quædam prægustare , antequam ad ipsam rerum tractationem abeamus. Constat, Ecclesiam Anglicanam confirmationem retinuisse sed Evangelicam illam, ab omni superstitione alienam. Videre hoc est ex agendis ejusdem ecclesiasticis. Nullum hīc christina Pontificium, nulli ritus superstitiosi, egregia omnia. Imponuntur manus & oratio super confirmandum funditur & quidem ab Episcopo , cui soli hoc demandatum muneris est. Qui ex nostris preces istas & agenda legere velit , adeat THEOPHILUM GROSSGEBAUERUM, Theologum quondam Rostochiensem ob pietatis excellentiam celeberrimum in der Wächterstimme aus dem verwüsteten Zion C. 17. p. 396. sqq. ubi agenda illa Anglicana de confirmatione in linguam Germanicam versa legi possunt. Quæ ipsa dum ponimus , non possumus profecto hāc occasione non laudare & plurimum evehere Viri illius judicium & pietatem summam , quā actus in eodem libro , à Facultate Theologica Rostochiensi approbato , in appendice p. 728. sqq. cogitata Irenica JOSEPHI HALLI , Episcopi olim Norvicensis Angli de pace Protestantium ecclesiasticā in usus Germanicos fudit & commendavit. Cerè adeò sapientibus & piis haecētūs & beato maximē SPENERO GROSSGEBAUERUS in deli-

Favonius , si viris doctis & sapientibus & piis negotiis  
hoc nostrum arriserit , ita , divinâ gratiâ nobis  
largiter

deliciis fuit , ut hæc ipsa cordatis displicere non possint . Post  
GROSSGEBAUERUM & Liturgiam Anglicanam de confirmatione Germanicæ exhibuit celeberrimus BENTHEMIUS in  
dem Engeländischen Kirch- und Schulen - Staat C. 12. p. 159.  
sqq. Jam verò de confirmatione apud Anglos datâ operâ scri-  
psiſile TAYLORUM , HAMMONDUM , BAXTERUM ,  
supra jam diximus iisque jam adjicimus JONATHANEM  
HANMERUM , cuius exstat *πλειωσις or an exercitation upon confirmation* London 8. 1658. Addi debent MART.  
BUCERIUS in censurâ in librum sacram Ecclesiæ Anglicanæ  
C. 17. MATTH. PARKERUS , Archiep. Cantuar. de Polit.  
L. 3. C. 16. SeCt. 11. GUIL. BEVEREGIUS , Episcopus olim  
Asaphensis in proemio ad codicem Canonum Ecclesiæ pri-  
mitivæ vindicatum , JO. PEARSONIUS , Episcopus olim  
Cestriensis in lect. V. ad Acta Apostolorum n. VI. VII. p. 69.  
GILBERTUS BURNETUS , Episcopus olim Salisburiensis  
in the exposition of the XXXIX. articles of the Church of  
England art. 25. f. 270. sqq. atque in historiâ reformationis  
Ecclesiæ Anglicana P. 1. in collect. docum. f. 119. P. 2. f. 47.  
51. 53. 103. 113. 131. & in collect. docum. f. 127. 150.  
edit. Genev. lat. & GUIL. CAVE in dem ersten Christenthum  
P. 1. C. 10. p. 344. maximè verò & ante omnes alios GUIL-  
LIELMUS WAKE , Archiepiscopus hodiè Cantuariensis to-  
tiusque Anglia Primas incomparabilis , qui tûm in libro ex-  
cellenterissimo , quem contra J. B. BOSSIETI , Episcopi Mel-  
densis Galli *exposition de la doctrine de l'Eglise Catholique*  
Londini A. 1686. 4. sub titulo : *An exposition of the doctrine  
of the Church of England edidit* \* , p. 38. sqq. de confirmatione  
Angli-

\* Certè enim hunc libri Autorem esse exstat in Bibl. Universelle T. XI.  
p. 439. sqq. Sed EDW. STILLINGFLEETI fœgum hunc esse , existi-  
mârunt alii. Vide BENTHEMI Engel. Kirch- und Schulen - Staat  
C. 27. §. 66. p. 712.

largiter assistente , mox exsequemur. Ut vero plenior adhuc rebus consuet ædificatio , libellum insuper Germanicum dare animus nobis est , quo methodum istam practicam atque asceticam pandamus , quâ in negotio salutis dirigi animæ , quâ ad conversionem

G præstan-

Anglicanâ latius agit , tum in the *Principles of Christian Religion* , (quem librum Ipsius Reverendissimi Præfulis munere possidemus , ) P. VI. se&t. LII. p. 167. sqq. de eodem arguento gravissime & più differit. Ceterum adeò non displicuit nostris confirmatio Anglicana , ut eam potius miris modis dilaudent & exosculetur. THEOPH. GROSSGEBAUERUM jam allegavimus. Sed addi possunt & SAMUEL STRYCKIUS & GOTTFR. ARNOLDIUS & JO. HERM. AB ELSWICH locis in priore notâ citatis. Idem sanc pretium confirmationi Anglicane posuit JO. DAL LÆUS , Theologus inter Reformatos præcipuas de cultibus Latinorum religiosis L. 2. C. 2. p. 100. sqq. quod caput legi sanc vel capropter quoque meretur , quod rituale hodiernum Anglicanum à rituali Henrici VIII. A. 1543. promulgato sollicitè distinguit ibi Vir judiciosus , in quo quippe posteriore confirmatione à labore Romanâ nondum purgata erat & sacramentum adhuc nominatur , cùm in priore omnia resecta sint , quæ errorem Pontificium olenet , ita , ut acerimè hoc ipsum deploret J. B. BOSSUETUS in histoire des variations des Eglises Protestantes T. 1. L. 7. §. 89. 90. p. 345. 346. Quæ cùm ita sint , haud satis mirari possumus , quî Presbyteriani in Angliâ , qui vocantur , & confirmationis quoque ritui in Ecclesiâ Anglicanâ usitato tam infensi esse possint. Qui casulationes eorum legeri voluerit , aead EDWARDI DEDOCLAVII seu postius DAVIDIS CALDERWOODI Altare Damascenum Lugduni Batavorum A. 1708. 4. denud editum p. 255. sqq. 633. 634. Sed vide , quid reposuerint DANIEL TILENUS in parœsi ad Scotos , Genevensis disciplina Zelotas C. 15. p. 52. sqq. & GUIL. NICHOLS in defensione Ecclesiæ Anglicanæ

præstantissimam animari , quâ firmari in fide atque ad altiora semper evehî , quâ & maximè hic *confirmationis ritus* , mox introducendus sanctificari atque ad præstantissimos motus asceticos in animis ciendos adhiberi & applicari possit . Cæterum , quod supra jam diximus , id repetimus iterum , rogamusque Viros , queis patria nostra abundat , doctos , ut tractationem illam de confirmatione eruditiorem meditantibus nobis suæ doctrinæ supellestile ampliore suppetias ferant . Ut enim illud raceamus , quod jam insinuavimus , ἐν οὐραλμὸν επιστολὴν , gaudemus nos plurimum , si proficiendi & discendi nobis eruditiorum ista , quam in nos effundunt , liberalitate suppeditetur exoptata semper nobisque longè dulcissima occasio .

## EPILOGUS.

**A**T verò , ubi jam ad umbilicum prodromo huic imponendum pergimus atque meditationem de hoc argumento nostram penitus intendimus , tot


---

canæ P. 2. C. 7. quod de confirmationis ritu agit , ubi & p. 269. confirmationem Ecclesiæ Judaicæ ex BUXTORFII Synagogâ Judaicâ C. 3. idem refert . Addendi sunt omnes illi Autores , qui vindicias Ecclesiæ Anglicanæ contra schismaticos scripserent . Unum est , quod addimus , GUIL. WHISTONUM , Theologum Anglum , inter alia quoque capropter tanti Constitutiones Apostolicas facere , quod & confirmationem ille urgeant . Vide ipsius essay on the Apostolical constitutions p. 13. Scilicet ad earundem præscriptum ipse ordinem confirmationis Liturgicum compofuit atque in bello Anglo : the Liturgy of the Church of England reduc'd nearer to the primitive standard London 1713. 8. k. 3. 4. tradidit . Sed privata hæ Viri cogitationes sunt , queis nullus calculus publicus accessit .



tot alia , quæ dici hoc loco potuissent , obvia nobis se  
sistunt ut paucissima saltem hic posuisse nobis videa-  
mur. Sed nec prodromi ratio istam prolixitatem pa-  
titur , quam in ipfā quoque tractatione evitabimus.  
Quod restat , TE , DEUS ALME , *animarum nostrarum*  
*summe Episcopus & Rex* , calidis precibus invocamus , ut  
hoc institutum Ecclesiæ nostræ jubeas esse perquam fa-  
lutare , ut largam TUAM benedictionem affundas illi ,  
ut Ipse cum Spiritu Tuo sancto in corda catechume-  
norum nostrorum illabare eademque ad TE per gra-  
tiam Tuam convertas & in egregio illo , in quo tūm ver-  
funtur , rerum suarum situ CONFIRMES illos Ipse &  
STABILIAS. SINE TE enim NIHIL HIC POSSU-  
MUS. Tu itaque , qui solus id potes , munda , fana ,  
expia , conforta , unge , firma , funda nos , TU per-  
fice nos , quæsumus , & robora & signa nos illo Spi-  
ritu Tuo , Spiritu illo promissionis , qui est pignus hæ-  
reditatis illius coelestis , quam anhelamus. Et , cùm  
proh dolor ! is sit Ecclesiarum miser status & flebilis ,  
ut in alto spirituali somno homines jaceant atque operi  
operato & voluptatibus suis immersi soporem oculis  
suis excutere haec tenus nesciant , fac , quæsumus , in-  
finitâ illâ coelesti & divinâ virtute Tuâ , O DOMINE ,  
ut larga aliquando in Ecclesiis animorum existat exci-  
tatio , ut spirituales iique luculenti in pectoribus ubi-  
que cieantur motus , ut florere apud nos atque suos  
ubique radios spargere vel tandem incipiat Christiani-  
smus ille vividus , masculus , internus , asceticus & *re-  
nunctor* , ut vim à nobis patiatur & magno studio ,  
magnâ alacritate queratur regnum DEI , ut pessum  
detur magis magisque regnum Satanæ & tenebrarum ,  
ut multi passim sint , qui currant ad brabæum coeleste ,

ut denique gloria & timor sanctissimi Nominis Tui ubique in CHRISTO JESU diffundatur, donec id advenierit beatum tempus, quo, qui tui sumus fidemque servabimus, cœlestibus addicti gaudiis in bono æternum sic duraturo læti & exultabundi CONFIRMABIMUR.




### IN FUGAM VACUI.

**D**um in fugam vacui ut quædam adhuc adspergamus, rogat Typographus, in mentem venit, paucæ hæc addere. Nefcio, quo fato contingat, ut invidiæ odijus nobis conciliandi causa libelli nobis adscribantur, qui nostri non sunt. Ita jam ante annum ferè meditationes qualidam de *sue & heresi* nobis attribuit *Jo. Guili. Janus*, Theologus Wittebergeniæ, ut eò acerbius in nos grassari posset Vir, quem humanitatis jura, que nobis, que nostræ Academie debet, à male consultâ ejusmodi scriptione abfratre debuerant. Ita porrò nuper Magister quidam Lipsiensis, *Romanus Teller*, in dissertatione contra Theologos Tubingensis scriptâ de morte num confitiat in *Averi*, an in *dia scatæ*, nobis, ut nefcio qua ambitionis malefanæ suspicio in nos cadere posset, *Schediasma irenicum*, quod fanè nostrum non est, attribuit, qui nostrum de morte Schediasma confulere hic potius debet, ut dubiosus suis fati, quod est, ante scriptiōnem suam faceret. Ita denique nuperrimè in den *neuen Zeitungen von gelehrten Sachen*, que Lipsia prouideunt, subinnui videatur, vel saltem occasio suspicandi datum lectori, ac si nos die alterius *Historie der Theologischen Gelehrsamkeit*, que hic loci cusa est & ubi itidem nostra laudari vides, iplimet concessemus, cum tamen nōrint omnes nostri, ne hilum quidem istius libelli ad nos pertinere. Scilicet ipsi hinc fictionibus nigrum nomen & nefcio quam ambitionis literaria suspicione & apud probos nobis conciliare studet Satanæ, qui & alias, (neque enim istas fictiones in hunc censum jam referimus,) longius contra nos procedit & calumniarum mendaciorumque plaustra in nos impudenter spargit. Et fanè, quicquid illæ contra nos haec tenus conatus est, ut nuper in oratione *de silentio Theologico* diximus, non nisi columnis & convitiis, mox sumtæ pieratæ & modestiæ fictæ larvæ, mox aperrà eaque summa rusticitate in nos effusis contra nos conatus est. Nos vero bonâ nos egregiâque, quâ tristipianus, conscientiæ involventes generoso contemtu fame quævis ista mendacia ridemus, certi, viros probos & cordatos scriptiōnibus illis nunquam deceptum vel in transverbunt actuū iri. Quod restat, rogamus eruditos quolvis, ne quidquam nobis attribuant, quod ipsimet nondimis inter nostra reperherimus. Certe enim nec sub falso nomine latitare nec nullo uti cupimus, qui nec tenebras querimus, nec lucem formidamus, sed in serena die mediante luce nostra expondere cordatèque, ut par est, agere amamus.



186



Jb 45/7

X 2284234





e.  
5

*TRACTATIONIS SYNOPTICÆ*  
 D E  
**INITIATIONE,  
 EXPIATIONE,  
 BENEDICTIONE**  
 &  
**CONFIRMATIONE  
 CATECHUMENORUM**  
*PRODROMUS,*  
quem,  
 divinâ juvante gratiâ,  
 SUB PRÆSIDIO  
**D. CHRISTOPH. MATTHÆI  
 PFAFFII,**  
 Theologi primarii & Cancellarii Tübingerensis  
ad IV. & V. Dec. MDCC XXII.  
 in Auditorio Juridico  
 defendant  
 M. JO. FRIDERICUS PFLEIDERER, Waiblingensis,  
 M. HELVICUS IMMANUEL BECK, Bahlingensis,  
 M. JO. JACOBUS BRODHAG, Stutgardianus.  
 Sacrarum Literarum Cultores in Ducali Stipendio.

*TUBINGÆ* imprimebat GEORGIVS FRIDERICVS PFLICKIUS.

v.

N° 192.